

PALAESTRA LATINA



ANN. XL (Fasc. III) — N. 211
M. SEPTEMBRI — A. MCMLXX

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CaesarAugustae edendi

Praeses: J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.
Moderator: Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.
Praecipui scriptores: Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum licentia

I N D E X

ANN. XL (Fasc. III) — N. 211

M. SEPTEMBRI — A. MCMLXX

VIDO ANGELINO, <i>Examen de Horatio</i>	97
RAPHAEL PAONE, <i>Job</i>	105
J. M. MIR, C. M. F., <i>Ciceronis specimina</i>	113
HUMBERTUS DE FRANCO, <i>Nuntius ille septem petasis indutus</i> ...	125
NICOLAUS MANGEOT, S. J., <i>Horis subsicivis</i>	129
BIBLIOGRAPHIA, J. Jiménez Delgado, C. M. F., M. Molina, C. M. F.	131

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XL. (Fasc. III) — N. 211

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXX

EXAMEN DE HORATIO

Hoc examen peractum est in nostro humanistico Lyceo (in quo professor discipulique jam inde a primo anno latine colloqui nituntur) atque magnetica teniola impressum, exinde transcriptum leviterque hic illic expolitum.

Professor — Sed eas, quaeso, neque ullo timore conturberis, quandoquidem hic es inter amicos, maturioris quidem aetatis, at amicos. Disquiramus igitur de Horatio; tu autem incipe, quaedam de vita poetae breviter exponens.

Discipulus — Quintus Horatius Flaccus natus est Venusiae, anno sexagesimo quinto ante Christum natum. Vicus ejus natalis situs erat inter Apuliam et Lucaniam, ideoque ipse jocosè dicebat se ancipitem utrum lucanus an apulus esset. Pater optimus (de matre sua numquam loquitur Horatius, quam licet suspicari eum adhuc infantem amisisse) vividum in puerulo praesentiens ingenium, noluit in scholam vici eum mittere sed ausus est Romam eum portare eumque docendum committere optimis Urbis magistris, qui omnes sunt nobis ignoti, praeter illum plagosum Orbilius qui ei poemata Andronici, Naevii, Ennii et palliatas Plauti atque Terentii explanavit.

Professor — Paululum attendas. Horatius, cum magnus atque notus erit poeta, quodnam judicium de antiquis illis auctoribus exprimet, quos puerulus didicit atque perpendit?

Discipulus — Non modo in Epistula ad Augustum, sed etiam in Epistula ad Pisones, Horatius ostendit quam parvi antiquae latinitatis scriptores aestimaverit. De Plauto adfirmat unicam illi curam fuisse, nummos quam plurimos cumulare, ejusque sales nimium pa-

tienter proavos laudavisse; de Naevio autem indignatur quod adhuc temporibus Augusti in omnium sit manibus, velut auctor paene recens; nec ignota sunt acria ejus de Lucilio judicia, quem adfirmat fluere lutulentum et multa in ejus carminibus inveniri quae velles eum sustulisse.

Professor — De hac quaestiuncula, haec sufficiant. Vitam igitur Nostri quam inchoasti, persequere.

Discipulus — Romae, pater non modo puerum suum probatissimis magistris tradidit erudiendum, sed ipse custos ei adfuit incorruptissimus, animum ejus a vitiis opprobriisque deterrens eumque insuescens ut circa se exempla vitiorum atque virtutum intente perspiceret.

Professor — Tua sententia, haec paterna educatio quoddam habuit pondus in opus poeticum quod, multis annis post, composuit Horatius?

Discipulus — Absque dubio et quidem duplici ratione: primum, quia in eo acuit morum studium quod per totam vitam mentem allexit poëtae, deinde quia effecit ut ille, praesertim in Sermonibus componendis, potius quam de vitiis virtutibusque infinite atque universe dissereret, ea quasi viventia in civibus suorum temporum deprehenderet atque proponeret, quo simplicius et acrius ostenderet virtutes adpetendas, vitia contra spernenda.

Professor — Acute dixisti. Nunc autem breviter commemora quid Horatio evenerit postquam, mortuo patre, se Athenas contulit ut studia litterarum ac philosophiae perficeret.

Discipulus — Dum Horatius Athenis, ut ipse ait, inter silvas Academii verum quaerit graecosque versiculos componere conatur, intimaque familiaritate cum quibusdam romanis adolescentibus jungitur (sufficiat Pompeium Varum meminisse), pervenit Athenas Brutus, non modo ut sectas philosophicas ipse quoque adiret, sed etiam ut ad se quam plurimos litteratos doctosque juvenes alliceret, quos in exercitu quem erat paraturus, adhiberet.

Professor — Hoc erat certe praecipuum Bruti propositum: minime enim eum latebat bellum inter interfectores Caesaris ejusque fautores ineluctabili quadam necessitate imminere, quamvis pax inter utrosque Romae composita esset. Nunc autem expone quomodo Horatius se in pugna ad Philippos commissa gesserit et quaenam ejusmodi eventus memoria in animo ejus remanserit.

Discipulus — Exstat notissimum carmen, quod incipit «O saepe mecum tempus in ultimum», in quo Horatius candide fatetur se non modo fugam petiisse, sed etiam scutum reliquisse. Necessitate coactus id fecit, non utique libenter, immo secreto quodam pudore, ut verbis illis «relicta non bene parmula» clare evincitur. Recordatio autem,

etsi aliquantulum amara, cum carmen componit jam est longinquitate temporis quodammodo tenuata atque placata, ita ut Noster in eodem carmine addere subridens audeat ipsum Mercurium de media pugna paventem poetam denso aere cinctum sustulisse, se lepide quasi homericum heroem depingens.

Professor — Placent quae ingeniose dixisti. Nunc autem nostrum poetam Romam comitemur, in quam urbem scis eum, post fugam arreptam, fractum animo atque spe frustratum pervenisse, quasi, ut se ipse depingit, decisis cycnum pinnis. Praetermissis autem munere quaestorio primisque Sermonibus, nobis narra quomodo Maecenatem cognoverit eumque sibi firmissima junxerit amicitia.

Discipulus — Dulcissimi amici iidemque poetae, Vergilius et Varius, quaedam dixerant nobilissimo et potentissimo praefecto Urbis, qui ideo eum cognoscere optavit. Cum vero Horatius in ejus conspectum venit, ita reverentia ac timore est evictus ut fere nihil ejus rogationibus respondere potuerit ac tantummodo quaedam singultim ei percontanti protulerit. Maecenas, incertus et aliquantulum expectatione deceptus, eum celeriter dimisit.

Professor — Primum ergo colloquium utrumque delusit. At quomodo evenit ut tandem mutua existimatione et familiarissima amicitia jungerentur?

Discipulus — Censeo Maecenatem, curiositate motum, unum alterumve ex Sermonibus Horatii legisse et statim animadvertisse in illo «libertino patre nato» rusticani adspetus atque brevis staturae, acre lepidumque poëticum ingenium latere, ideoque eum ad se iterum vocavisse eumque inter amicissimos suos adscriptum voluisse.

Professor — Quoniam de Maecenate loquimur, dic nobis de dono quod ipse amico voluit munifice largiri.

Discipulus — Quinque circiter annis postquam Horatium inter amicos adsciverat, optavit Maecenas ut poëta, in amicitiae signum, villam acciperet Sabinam, circa quam continui assurgebant montes, frondebat proxima silva quercubus ilicibusque opaca quae dominum gratissima umbra juvaret, ac non longe a domo fons desiliebat liquidissimus et loquax, frigus amabile et refrigerium sitientibus praebens. Ibi revera Horatio sollicitae jucunda obliviae vitae ducere licuit.

Professor — Placet descriptio tua, qua ostenditur te attente legisse cum carmen illud celeberrimum de fonte Bandusia, tum epistulam decimam sextam, tum praeclaram satiram libri secundi quae incipit «Hoc erat in votis». Nunc autem refer nobis num id donum effecerit ut vitae suae rationem Horatius mutaret.

Discipulus — Noster, tam liberali dono locupletatus, munere scribae quaestorii destitit, cum nunc amplissime haberet quo vitam susten-

taret; praeterea se rarius Romam conferre ac placidam vitam ruri degere coepit, campos atque silvas pererrans, frequentes sermones cum rusticis nectens ac praesertim suae mentis cogitata tacite persequens animique sui sensus perscrutans atque ea omnia lente versibus effingens.

Professor — Apte respondisti. Longinquitatem vero Horatii scimus parum gratam fuisse Maecenati, qui geniali amicitia poëtae diutius ac frequentius frui maluerat. Immo exstat, ut probe nosti, Epistula in qua Noster Maecenati, instanter roganti ne Roma nimis abesset, se aperte palamque profitetur ad omnia reddenda paratum si donum amici suam coërceat libertatem, additque manifestissimam fabellam de vulpecula quae, per angustam rimam in cumeram frumenti ingressa ibique avide pasta, frustra tandem exire tendens, a mustela est admonita ei macrae esse effugiendum qua macra subisset. Hic verum, potius quam Horatium talia dicentem, miramur Maecenatem talia liberaliter patientem. Nunc autem, omissis Epodibus, quaedam summatim at subtiliter dic nobis de Sermonibus.

Discipulus — Epicuri disciplina, vitiorum atque stultitiarum hominum insectatrix, cui Horatius cito se addixerat, sponte eum ad satiram impulit, quod genus jam Lucilius magno cum plausu tractaverat. In satiris autem Horatii mira et jucunda est argumentorum ubertas: modo enim castigantur mores, modo hominum naturae argute describuntur, modo de re poëtica tangitur, modo vitae eventus ipsius depinguntur poëtae, modo facete narratiunculæ exponuntur; dixerim eas esse quasi quasdam «saturas lances» in quibus fructus omnis generis cumulantur.

Professor — Breviter nunc commemora quosdam satirarum locos ubi Horatius de seipso loquitur.

Discipulus — In primis, locum illum exquisitum sextae primi libri meminero, qui locus patefacit quam liberam atque securam vitam Romae ducat Horatius, quacumque misera ambitione solutus; in eadem sexta, jam dixi Horatium primum colloquium cum Maecenate candidè narrasse; in quinta primi libri, iter refertur Roma usque Brundisium, in eaque complures inseruntur jocosæ narratiunculæ; nona primi libri est celeberrima de importuno illo qui, cum ad poëtae latera se affixisset, rogat atque instat ut possit et ipse, Horatio scilicet adjuvante, in Maecenatis amicorum coetum adscribi. Sexta autem secundi, non tantum poëtae effusum exprimit gaudium propter villulae sabinæ munus, sed et effingit Nostri anxiam vitam curarumque plenam dum Romae moratur, contra inertes et jucundas horas quotiens ruri se abdidit.

Professor — Sint haec de hoc argumento satis; ad aliud igitur transeamus. Ut plane scis, secundo libro Satirarum et Epodon libro

editis, anno tricesimo ante Christum natum, Horatius se totum insequenti septennio ad lyrica carmina elaboranda tradit. De carminibus ergo nobis quaedam in communi propone.

Discipulus — Post donum villae sabinae, paupertas non amplius ad fores pulsat Horatii atque, intestinis bellis peccatis, nova pacis atque ordinis aetas incipit, simulque audax et acerba poëtae juvenia aetati maturiori locum cedit atque pacatiori. Horatius, ut ita dicam, tranquilla pace cum erga se tum erga alios nunc fruitur; ex hoc sedato animi statu Carmina illa nobilissima exoriuntur, quibus poëta vere sibi monumentum erigit aere perennius.

Professor — Scis certe quam multiplici varietate metrica ejus carmina polleant et quantopere Horatius hoc sibi laudi tribuerit. At praetermittamus rem metricam breviterque de ipsa materia carminum loquere.

Discipulus — Exstant carmina quibus poëta suas meditationes de rectis normis vivendi patefacit, se felicissimo nitore exprimens, exstant quae varios eventus ejus vitae commemorant, alia denique quae civilia dici possunt quaeque laudibus res romanas moremque majorum exornant, sex illa praesertim quibus initium sumit liber tertius, ubi revera praeconem vatemque Romae se prodit Horatius.

Professor — Sufficiant quae dixisti. Elige nunc carmen quod tibi praecipue placuerit, idque singillatim expone.

Discipulus — Eligam alcaicum carmen «Quid dedicatum poscit Apollinem». Mense Octobri, anno vicesimo octavo ante Christum natum, Augustus sollemni pompa in Palatino monte templum Apollini dicavit. Horatius quoque, inter frequentem populum qui ad ritum celebrandum concurrerat, Apollini preces suas, movum de patera vinum fundens, obtulit, dumque orat coram dei simulacro, mente sibi fingit a praesentibus intra se quaeri quid vates deum poscat, eisque hoc carmine tacite respondet se non segetes feraces, neque aurum aut ebur indicum precari, neque rura vinetaque calena mercatorumque divitias; sibi olivas levesque malvas sufficere seque unum exoptare ut, Phoebos ipso juvante, valido corpore integraque mente gratam senectam nec cithara carentem degere possit.

Professor — Accurate carmen exposuisti, quod tibi placere reor quippe quod arguta atque compta patefaciat perspicuitate quam modicam et temperatam vitae rationem diligit Horatius. Satis autem sit de Carminibus; de Epistulis nunc quaedam disquiramus. Ut scis, Horatius eas composuit, ut ipse ait, lusus et ludicra deponens et se totum pervestigationi tradens sapientiae. Agiturne ergo de quodam, ut ita dicam, reditu ad Satirarum modum atque rationem?

Discipulus — Mea quidem sententia, Satirae hominum vitia deli-

rationesque potissimum insectantur, quapropter acerbitate et pugnantate hic illic imbuuntur; in Epistulis contra, Horatius totus est in inquirendo verum et decens quid sint, vitaeque praecepta sibi amicisque depromit eosque docet quibus modis aequum erectumque animum parent; quae constantis dignaeque vitae principia non tam a philosophorum libris haurit quam ab imo corde atque a communitissimaque magistra, a vita scilicet hominum; numquam enim intermisit Horatius, postquam pater optimus id eum docuit, quin variam hominum comoediam intente spectaret eamque sibi magistram morum adsumeret.

Professor — De tuo acri iudicio tecum gratulor: recte enim naturam novitatemque Epistularum inspexisti, quae quidem non modo Horatii interiores maturioresque animi sensus detegunt, sed et ejus exquisitiorem artem poëticam patefaciunt.

Nunc autem breviter disseras de quadam Epistula quam attente perpenderis.

Discipulus — Quaedam proponam de secunda, ad Maximum Lollium, qua mihi videtur Horatius non modo ad adulescentem illum romanum ut magister alloqui sed ad nos omnes qui in studia incumbimus. Sequens interpretationem quam Graeci *κατὰ ὑπόνοιαν* appellant, Noster Lollium hortatur ut Homerum legat non tam in eo uberrimas virtutes poëticas persequens quam potius de moribus praecepta, quae facile ab ejus fabulis eruuntur. Exempli gratia, in Ulixè depingendo, Homerus nobis praesertim offerre voluit mirum fortitudinis virtutumque omnium exemplar: nonne enim Ithacensis callide Sirenas et Circam effugit et valuit, plurima perferens atque evadens pericula, reditum suis sociis parare, vere «adversis rerum immersabilis undis»?; qui versus, epica quadam solemnitate imbutus, mihi plane admirabilis apparet et meum stuporem excitat quotiescumque eum legi. Sequitur postea, ut ita dicam, fasciculus sententiarum quae inordinate et mira festivitate ac nitore proponuntur.

Professor — Iterum me impellis ut tibi gratuler; apte enim atque acute de lolliana epistula dixisti. Nunc vero ad illum transeamus eventum qui maxime fuit sollemnis Romanis, Horatio autem occasionem obtulit ut diem, paene dixi, triumphalem viveret: de ludis loquor saecularibus, quos Augustus celebrandos edixit in annum decimum septimum ante Christum natum, ea mente ut sacro illo ritu Superis debitae persolverentur gratiae atque animorum conciliatio artior integriorque inter cives fieret. Explica ergo nobis quaedam de carmine saeculari.

Discipulus — Monebant sybillini versus ut quotiens circuitus centum et decem annorum impleretur, Romani magnifico apparatu sacra in honorem deorum immortalium celebrarent; inter alia, praecipiebatur ut chorus adulescentium paeana caneret. Augustus autem intel-

lexit neminem posse carmen illud componere aptius quam Horatium, qui, praesertim carminibus primis tertii libri, ostenderat se vere romanum vatem, egregia facinora virtutesque majorum scite atque ingeniose laudibus ornans. Principi oranti, Horatius, etsi dubitavit, recusare non est ausus. Lente carmen elucubravit, ipse postea chorum puerorum puellarumque instruxit. Tandem, die tertio ludorum, in colle Palatino prius, deinde in Capitolio, viginti septem puellae totidemque pueri, in conspectu Romae universae, carmen saeculare cecinerunt. Quis autem dicat quo repentino ac vehementi animi motu, exigua illa hora, sit arreptus Horatius? Oculos in immensam multitudinem circumvolvens, omnium oculos in se conversos perspexit, atque dum sentit se omnium civium involvi admiratione, doluit patrem suum optimum non illic adesse, ut filii gloria frueretur.

Professor — Haec ultima adnotatio, Horatium illa hora acri patris desiderio captum esse, valde mihi placet, teque censeo tua mentis sagacitate verum divinasse. Mihi autem addere liceat nitidas illas adolescentium voces, carmen ejus canentium, lyricas Camenas, in animo ejus sopitas, excitavisse eumque blande allexisse ut iterum barbiton aeolicum resumeret atque ad nova carmina fingenda cogitaret. Nunc autem sigillum quoddam dignum tuo examini ponas, quaedam de clarissima atque amplissima epistula ad Pisones enucleando.

Discipulus. — Ipse titulus «De arte poëtica» patefacit Horatium hic sese praeferre non de moribus rectis praeceptorem sed callidum exquisitae poëticae artis magistrum. Epistula est Pisonibus dicata, qui duo filii esse putantur Cnaei Calpurnii Pisonis qui consul una cum Augusto fuit anno vicesimo tertio, ad majorem natu praesertim, cui amicus Horatius praecepta cum in universum de arte poëtica, tum expressim de componendis tragoediis proponit.

Professor — Quaedam inter ista praecepta recordaris?

Discipulus — Incipere possum a notissimis verbis:

«carmen reprehendite quod non
multa dies et multa litura coercuit».

Quae verba mihi alia felicissima Petronii revocant, qui scriptores monet ut verba «atroci stilo effodiant». Aliud recordor:

«dixeris egregie, notum si callida verbum
reddiderit junctura novum»

cui praecepto primus atque egregia arte paruit ipse Horatius, qui Car-

mina praesertim et Epistulas callidissimis et mire concinnis juncturis exornavit. Nec tacebo illa vulgatissima verba:

«Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci
lectorem delectando pariterque monendo».

Adsunt praeterea in Epistula alia complura praecepta, cum de unitate carminis, tum de decore, tum etiam de nativo ingenio poëtae, de ejus doctrina atque humanitate et alia ejusmodi. Minime ergo est mirandum si hanc Epistulam, una cum Aristotelis opusculo, cui titulus περὶ ποιητικῆς, viri docti, praesertim temporibus iterum renovati litterarum antiquarum studii, tam intente subtiliterque perpenderit, de artis poëticae natura disserentes.

Professor — Fieri non potest quin tibi vehementer gratuler; non modo enim te acri memoria praeditum ostendisti, sed etiam eximie in Venusini operibus versatum. Licet ergo tibi abire, plene probatus.

Prof. VIDO ANGELINO
Apud Lyceum humanisticum
ALEXANDRIA (Italia)

J O B

Carmen Fratri in Christo carissimo
Prof. ITALO MINISTRNI
Biblicarum scientiarum claro cultori
D. D. D.

"Non ego, JOB, possum ad Dominum me ferre fidelem cum, sicut Tu, sim plenus languoribus omnis; nec sine peccatis sum, nec sapientia mecumst, ut tecum. Me Tu docuisti, sancte, per ipsas curas Omnipotens Numen mihi semper adesse"!

Vir fuit extremis terris et temporibus, cui nomen erat JOBUS, latis ditissimus agris; innumerique boves, asini innumerique cameli cui fuerant, pecudum tot milia; pascua circum pingua; servorum cui servarumque caterva.

Ut JOBUS felix orientis solis in oris nullus ad US vixit — tali nam nomine terram antiqui dixere, vel ejus originis urbem —.

Convenere olim Caeli famulique Deusque, inter quos aderat SATANAS quoque, Tartareus dux qui sese, tentans homines, circumvehit orbem.

DEUS — «JOBUM vidistine mihi sic usque fidelem?»
expetit ipse DEUS, cui subridens Cacodaemon:

SATAN — «Omnia JOBUS habet: grates Tibi reddere justum; si quid ei abstuleris, Tibi tunc maledicet ab ore. Experiar?»

DEUS «Vitam ne JOBBO dummodo tangas...»

Advolat en SATANAS: epulantes conspicit omnes illius natos cum uxoribus atque maritis, mixta quibus resonat laetissima turba nepotum.

Innumerosque boves, simul innumerosque camelos raptim tunc asinos caeduntque trahunque Sabei; et pecudes omnes — quasi mille per ora leonum — Caldei rapiunt, Satanas quos misit avaros.

Unus post alium referunt immania JOBBO quattuor ex servis: ad quae referenda fatentur se tantam misere solos fugisse ruinam; inde, necasse solum natosque domosque dehiscens narrant...

Tunc JOBUS sibi vestimenta caputque
dilacerat, terramque premens ad Numen amatum
se convertit et ID, pectus confractus, adorat:

JOB — «Nudus sum natus nudusque sepulcra tenebo:
sic Domino placuit: Domini benedicta voluntas!».

Rursus adest Domino Sanctos inter Cacodaemon;
haec loquitur, ridens:

SATAN — «Spernit JOB cuncta, superbus:
divitias, natos, asinos tenerosque nepotes;
pluris habet propriam pellem quam cetera JOBUS:
ergo erit illius nunc ipsam laedere pellem,
ut tandem infelix Tibi desinat esse fidelis».

DEUS — «Eja, tibi liceat JOBI dissolvere pellem:
pellis at arbitrium tantumque parumque teneto,
dummodo corpus adhuc animam concludat eidem».

— Sic Dominus quaerenti animas quas devoret, inquit,
patrantique scelus contra nos semper iniquo —.

Ulceribus plenus subito, JOB carnificina
factus: ad usque pedes corpus corrumpitur imos:
ostendebatur cunctis quasi turpe cadaver!...

Conveniunt socii: linquens et Tenan Elifaz
atque Suan Baldad, linquens Sofarque Naaman;
corporis et putris JOBI quo horrore moventur!

Tunc etiam uxor, amans felici tempore, mutat
mentes, adversata DEUM, adversata virumque:

UXOR — «Perge Deum colere et ritus offerre frequentes:
exalta Domini Numen sine fine benignum,
laudibus exornans ejus mirabile nomen,
cujus tutamen patrociniūque fidele
persistent, ut nunc, magis usque magisque per annos;
quaenam — dic aliter — quaenam peccata patrasti?...».

JOB — «Stultitia plena es, mulier», — JOB, denique clamat —:
nonne DEUS dederat nobis quae perdidit Ipse?
Sic placuit Domino... Dominum laudemus ovantes!».
Flet tamen; inde, sibi maledicens, orat amicos:

Nox mihi semen!... pereat diesque
qui meae vitae fuit ortus; illum
deleant anni, fuerit quasi hora
ejus inanis!

Matris ex alvo subito sepulcri
in scrobes nigras utinam ruissem,
tunc, velut purae genus immolatum,
hostia terrae.

Me per aeternum requies haberet,
 quae beat cunctos; procul a tumultu,
 spiritus; artus cineres adustos
 arva tenerent.

Terret heic ingens cocodrillus omnes;
 carnifex torquet domino iubente,
 nosque lactantes aluere mammae
 ad mala mundi!».

Surgens, alloquitur JOBUM Temanis Elifaz:
 ELIFAZ — «O nimis impatiens paenarum, JOBE, tuarum:
 te minime, nunc, te sapientia nota juvabit,
 postquam permultis dederant tua verba vigorem?
 Quo tua confugit pietas, perfecta magistra,
 qua populos vitae docuisti munera sancta?
 «Qui Domino servit non justus permanet umquam
 — sic mihi per noctem, quasi murmure spiritus inquit —,
 nam DEUS in sanctis culpas maculasque reprendit...
 Exurie amittunt rugitus saepe leones;
 sic homines mala spargentes, ceu fumus in auras,
 vanescent; tamen hi, domino parcente, resurgent:
 et tu pulvis eras, pulvisque redibis in horas
 per culpas: iterumque tuo, ut flos, vere viresces!

... ..

Spes tua surgat adhuc, surgat tremebunda favilla...»
 Post haec alloquitur JOBUM sic Baldad amicus:
 BALDAD — «JOBE, quousque DEUM contra tu talia? Recta
 justitiae virtus Omnipotentis erit!

Si nati servique tui peccasse videntur,
 — religione tamen suspicor atque reor!)

jure Deo placuit delere hominesque gregesque
 plagas et membris multiplicare tuis.

Nunc te audire DEUS possit «*miserere*» precantem
 detque tibi vires, det veniamque suam.

Praeteriti populi narrent quid forte necesse
 ad vires animae, quid prece possit homo.

Perdomat Omnipotens reges hominesque superbos:
 cuncta manu Domini regna domusque cadunt!

Sic opus est mundo Domino, terrisque polisque,
nec viret ulla carens herba palustris aqua;

pulvereusque globus, quotquot fueruntque sumusque,
nos homines — ventus ter levis ante DEUM! —

Flos, nimiis pluviis hiemis contusus amarae,
flabit ubi aura sibi verna resurget olens,

sic tu, cum Dominum frontem submissus adibis,
quae tibi jam fuerant rursus habebis!»!...

... ..

SO FAR — Ultimus alloquitur JOBUM dein Sofar amicum:
— «Audi, multa loquens: tibi loquenti
est demum utilis, ut salutis aura,
sermo qui ex alio patescit ore.

Tuis auriculis DEUS loquetur,
cujus te sapiens docebit ignis
quid purum siet et quid absque fraude.

Qui in Caelis nitet altior, magisque
terrae in visceribus profundus imis,
metitur mare, solus IS; per oras
qui mundi volitans pedesque ducit.

O stultos homines!... DEUS creavit
tot quae vos faciunt nimium superbos...

IS dein divitias tibi valebit
tot quas perdidit IPSE ferre plures,
unus qui Dominus DEUSque noster!

Curnam, JOBE, precor tuo putas vim
fortem in pectore adesse tamque multam?
tuas tolle manus tuamque frontem!...

Precare: Omnipotens tuas lavabit
manus sacrificas; scelus nefandum
nec umquam angelici chori videbunt.

DEUS nec poterit malum patrare
tuo in corpore; quas tuum per hostem
plagas innumeras tibi dedit; quae
permultas lacrimas cadunt rigantque
tuam nunc faciem, DEUS, potenti
paterna venia sua probabit...»!

JOB — Haec tribus inde refert, respondens, JOBUS amicis:
— «Errores trutina si libraretis in aequa,
aerumnasque meas!... Hae majus pondus haberent:
pondus arenarum quoque vinceretur ab istis

tristitiis, propter quas sunt mea plena dolore
 verba, meique animi robur consumitur ipsum!
 Militia est hominum vita et pugnare perenne
 secum, cumque suis... Satanam et devincere amicos...»!

... ..

— «Quid coram Domino sunt res hominesque pusilli?
 surgunt ut stipulae, pulveris instar eunt.

Sed DEUS unus habet montes, et sidera transfert:
 Illi Arturus, Hyas semper «*hosanna*» canunt.

Est Domini fulgens et fulgentissima semper
 angelicos inter gloria justa choros!

Stirps hominum Dominum cur ritibus irritat usque,
 quos turpes ritus stirps fugit ipsa canum».

... ..

— «Num vobis tantum splendet sapientia tota,
 sic ut vobiscum moriatur oporteat illa?

Haec novi: quicumque suis derisus amicis
 ad justum Dominum subito et confugerit aeger,
 inveniet columen sibi praesidiumque laborum!
 Haud dubio novi: nemo est qui nesciat ista,
 haec pisces et aves, hae vos jumenta docebunt!...

Haec oculus vidit meus auriculaeque biberunt:
 Ad Dominum fugiam solum, me examinet Ille!
 Cui dicam: contra folium, quod praeripit Eurus,
 vis ita virtutem, Domine, ostentare potentem?

Est homo immudum — nisi Tu juvasses
 istud humanum genus, o Redemptor —,
 semen; ad terram sine spe redibit
 pulvis et umbra!

Femina exortus, breviter per annos
 casibus duris homo mille stratus
 vivit in mundo, fragilisque flos ut
 surgit obitque.

Amputa quercum: quasi putrefacto
 mortuo ex trunco iterum novellos
 vere, virgultos, redeunte, quereus
 tollet ad auras.

Ut quies pallens hominesprehendit,
 nonne radices pereunt eorum?
 Denuo numquam vigiles futuri
 morte preempti!

Mons cadit, saxum ruit, et deorsum
 quam petras multas trahit unda currens...
 Mors rapit vires hominis, repente
 perpetuoque.

Quis mihi vires daret ut redirem
 qui per annorum seriem peractam,
 cum fuit Custos DEUS ipse, fulgens
 lampadis ignis,

Ejus ut lampas caput hoc beabat
 luce splendenti: tenebras fugavit
 Qui juventutis fuerat diebus
 omnibus Hospes!

Me mei circum pueri tenelli;
 tunc pedes ipsos mihi jam lavabam
 lacte; de petris olei fluebant
 flumina plena!

Tunc erat mecum Omnipotens: vocabant
 pauperes tunc me viduaeque «*justum!*»;
 tunc meam circum diadema frontem
 luce coruscans.

Principes magnos juvenesque stantes
 urbis ad portam ingrediens videbam,
 scilicet plenos gravitatis atque
 voce carentes.

Nullus in me, tunc, agit insolenter:
 me colunt omnes, solium mihi que
 exadornantes plateam per amplam
 rite salutant...

Factus hīc vulgo nova canticorum
 res ego, heu!, nunc: me fugiunt et horrent;
 in meum vultum sputat en viator
 ambitiosus!...»

Tunc iterum SOFAR loquitur; tunc BALDAD, ELIFAZ
in miserum JOBUM miscent permulta loquentes:

ELIFAZ — «Non ego te damno; tu damnas — inquit ELIFAZ —
ipse tuam vitam, cum, sicut ventus inanis,
verba refers; contra te nam tua verba sonabunt!».

BALDAD — «Nonne sui cordis lucem restinguet iniquus,
nec dabit illius flammam splendoribus ignis?
Ejus consumet mors quam durissima pellem.
Humor si deerit radicibus, occidet arbor;
sulfur erit domui pars, haeredesque peribunt!».
Dixerat haec BALDAD; SOFAR tunc ultimus addit:

SOFAR — «Qui pius ad Caelum tollebas brachia fulgens,
sic es, IOBE miser? Foedus ceu stercus abibis?
Ossa juventutis vitiiis tam plena jacebunt,
divitiasque pones, tecum quas ante ferebas!
Te aspidis ecce caput sorbentem jure necabit
virus, et ante DEUM sic te tua verba juvabunt!».

.....

JOB — Ista canens ventura sibi JOB gaudia cernit:
— «Vindex, oh Dominus meus Redemptor
vivit!... Tempore, quo redibit Ille,
quamvis carne carens mea, resurgam
— ego et non alius— meisque membris
cinctus (corda vibrant mihi beata!)
meisque his oculis DEUM videbo...»

(Job)

*Haud secus, ipse manus Domini fugiam adprecor aeger,
JOB, DEI et mentem semper submissus adorem,
adque DEUM cantem, tecum quasi victor, amantem:*

*Summa laetitia fruemur, ad nos
JESUS cum Dominus redibit olim:
tunc in corporibus novis petemus
altam, progenies redempta, sedem,
Caeli cara Patri per omne saeculum.*

*Hymnis, angelicus chorus, volatu
recludet tumulos suis tubisque;
vivet coetus amans fidelium, tunc
beatē recinens "io triumphe",
Christo a sacrificio piē novatus,
sancto prodigio Salutis Ejus!...*

*Unus spiritus, eja simus, unum
pectus; perpetuo fides amorque
regnent; fratribus, heic, dies decoros
vox dat, quae resonat magis magisque
nobis ex cruce, nos beante JESU.*

*Tunc desiderium, nec hujus orbis
decus nos miserum tenebit umquam;
quas plaga Dominus dat ad Salutem,
erunt mirificum decus polorum.
DEI jam benedicta sit Voluntas,
et "Amen" resonet per omne saeculum!*

Prof. RAPHAEL PAONE
Via M. M. Benavides, 5
PATAVI IN ITALIA

CICERONIS SPECIMINA

II. EPISTULA AD TIRONEM

— *ad fam.* 16, 10 —

Tiro —cui epistula mittitur— fuit servus Ciceronis, qui honestis moribus, ingenio, firma fide et obsequio erga dominum maxime praestitit.

Tullius vero, ut in bonis litteris Tiro institueretur, curavit, ejusque diligentia et doctrina in libris parandis conscribendisque usus est. Anno 53 a. Ch. n. eum libertate donavit.

Tiro Ciceroni totique familiae carissimus fuit; quo vita functo nonnulla ejus opera in quibus epistularum corpus, edidit.

Hanc aliasque ad Tironem Tullius misit epistulas (*Ad fam.* 16,13; 16,14; 16,15) cum aegrotabat; quibus, qua esset cura et sollicitudine de ejus valetudine, manifestum fit.

Data est epistula die 18 m. aprilis a. ab Urbe condita 701 —53 a. Ch. n.— 54 vitae Ciceronis.

In duas partes commode dividitur: in prima sollicitudinem de Tironis valetudine Tullius significat, in altera de litterarum studiis sermonem instituit; quibus ut libentius operam det, diem promissorum (libertatis) adventare dicit.

Summa:

1. Cicero Tironis adventum desiderat

— sed iter faciendum timet —

quia: aeger fuit,

inedia

purgationibus

vi ipsius morbi consumptus est;

quia: ex pravibus morbis graves solent esse offensiones

— si quae culpa commissa est —

quia ad biduum

— quo erit in via

dum in Cumanum adveniat —

quinque dies ad reditum addentur.

Quare rogat ut in Formiano firmum eum inveniat III kal. majas —die 29 m. aprilis—, que die cogitat se in Formianum adventurum.

2. Nunc, Tirone absente

litterarum studia languent,

quae tamen oculos parum erexerunt,

accepta Tironis epistula.

Adeo somno opprimuntur litterae

ut Tullius vel Pompejo dixerit omnia scripta sua obmutescere.

Quare paret se —rogat— ut litteris seu musis operam suam reddat; ac promissorum dies —quo ad litteras expeditius et commodius incumbat— appropinquare confirmat.

Dicendi Genus. — Hujus epistolae dicendi genus simplex et planum animadvertite. Sententiae breves sunt; aliae aliis sine conjunctionibus fere copulantur —quamquam sunt nonnullae—.

Epistolium esse videtur raptim scriptum, quo sincera mentis cogitata exprimuntur.

TULLIUS TIRONI S.

— ad fam. 16, 10 —

Ego vero cupio te ad me venire, sed viam timeo. Gravissime aegrotasti, inedia et purgationibus et vi ipsius morbi consumptus es; graves solent offensiones esse ex gravibus morbis, si quae culpa commisa est; jam ad id biduum, quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano ante diem III Kal. esse volo. Ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice.

Litterulae meae sive nostrae tui desiderio oblanguerunt, hac tamen epistula, quam Acastus attulit, oculos paulum sustulerunt. Pompejus erat apud me, cum haec scribebam, hilare et libenter. Ei cupienti audire nostra, dixi sine te omnia mea muta esse. Tu musis nostris para ut operas reddas. Nostra ad diem dictam fient; docui enim te, fides ἔτυμον quod haberet.

Fac plane ut valeas. Nos adsumus. Vale, XIV Kal.

EPISTULAE EXPLANATIO

EGO VERO: pronomen personale personam significat; quod, cum ex ipsa verbi desinentia percipiatur, saepe in sententiis deest; ideo:

1. *pronomina personalia primae et secundae personae, in nominativo, fere non exprimuntur:* «dixi sine te omnia mea muta esse»; «docui te» (cfr. *infra in h. epist.*). «Plura scribere non debeo»; «litteras tuas vehementer exspecto» (Cic. *Ad fam.*, 11,15). «Hunc video mihi principem» (Cic. *Pro Arch.*, 1,1).

— Attamen exprimuntur:

2. cum altera persona alteri quodam modo opponitur: «De te tu videris; ego de me ipso profiteor» (Cic. *Phil.*, 2,46,118). «Ego reges eieci; vos tyrannos introducitis» (Cic. *Ad Her.*, 4,53,66). «Quantum alii tribuunt tempestivis conviviis..., mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero?» (Cic. *Pro Arch.*, 6,13).

3. cum aliud praecedit vel insequitur pronomen personale, etiam si nulla sit rei oppositio: «Quotiens *ego hunc* Archiam vidi» (Cic. *Pro Arch.*, 8, 18). «*Hunc ego* non diligam» (*Ibid.*). «*Ego vero tibi* hoc confirmo» (Cic. *Ad fam.* 6,3,4). «An *tu me* de L. Tubulo putas dicere?» (Cic. *De fin.*, 2,16,54).

4. cum orationi a) *emphasim* addere volumus, aut vim, b) interrogando, c) interpellando, d) exclamando:

- a. «*Tu* innocentior quam Metellus? (Cic. *Verr.*, 3,16,43).
- b. «An *ego* non provideam meis civibus? (Cic. *Phil.*, 6,6,17).
- c. «*Egone* ut te interpellem? (Cic. *Tusc.*, 2,18,42). «*Tute* introspecte in mentem tuam ipse» (Cic. *de fin.*, 2,35,118). «*Tu* vero, inquit, perge» (Cic. *de orat.*, 2,28,124).
- d. «O *ego* laevus, qui purgor bilem!» (HORAT., *Ars. poët.* 301).

5. Cum pronomini subjungitur appositio: «Cum hoc constet, *ego, homo imperitus juris, ignarus negotiorum ac litium*, hanc puto me habere actionem...» (Cic. *Pro Caecin.*, 11,32).

6. Cum in sententia verbum omittitur: «Quid *ego*?» — «Quos *ego*?» (VERG. *Aen.*, 1,135).

7. Cum particula vel vocabulum adest quod ex suo ipsius sensu a) pronomini personali singulariter adhaeret; quo saepe res b) plenius asseritur vel confirmatur, aut c) alteri opponitur:

- a. «*Eo die nos quoque* multa verba fecimus» (Cic. *ad fam.*, 1,2,1): *anch'io; también yo. «Tu quoque hoc fecisti»: anche tu; también tú lo hiciste.*
- b. «*Ego vero* cupio te ad me venire», cfr. *hanc epist.* Cic. «*Ego vero* fateor me his studiis esse deditum» (Cic. *Pro Arch.*, 6,12). «*Ego vero* omnia quae gerebam jam tum in gerendo...» (Cic. *Pro Arch.*, 12,30).
- c. «Oratorias exercitationes non *tu quidem*, ut spero, reliquisti, *sed* certe philosophiam anteposuisti» (Cic. *De fat.* 2,3).

ADN. 1.^a Particula *vero* pronomini personali subjungitur praesertim cum pronomini addere volumus vim et conecitur cum alia oratione aut illi opponitur; saepe interpretari possumus: *quanto a me; io invece; ma io; io sì che; en cuanto a mí; yo por mi parte; yo sí que*: «*Ego vero* saepius quam vellem» (Cic. *De rep.*, 1,38,59). «Quod scribis te... ad me esse venturum, *ego vero* te istic esse volo»: *io, per conto mio preferisco; por mi parte yo prefiero.*

2.^a Subinde difficile est convertere in linguas hodiernas notionem quae particulae *vero* inest: qua varie et venuste conexio unius sententiae cum altera exprimitur, aut quidam singularis sensus et subtilis intentio vocibus additur. Quae variae significationes legendis scriptoribus facilius percipiuntur pleniusque discuntur.

8. Cum pronomen personale est subjectum propositionis primariae et secundariae: «*Ego*, cum Athenis decem ipsos dies fuissem..., proficiscebar inde pridie nonas quinctiles» (Cic. *ad fam.*, 2,8,3).

«*Tu, quemadmodum scribis, (quod, eiamsi non scriberes, facere te diligentissime tamen sciebam) facies, scilicet, ut mea mandata digeras...*» (CIC. *ad Q. frat.*, 2,12,3)¹.

CUPIO TE VENIRE: oratio infinitiva. Verba *voluntatis, optandi, permittendi, imperandi, prohibendi* orationem infinitivam postulant, quae in *infinitivum tantum* mutari potest —cum utriusque verbi subjectum *idem est*: «*volo facere*»—, aut in subjunctivum cum particula *ut*:

— «*Volo te hoc scire*» (CIC. *Ad att.*, 1,18,6). «*Volo et esse et videri gratus*» (CIC. *de fin.*, 2,22,72).

— ...*quaeso ut in hac causa mihi detis hanc veniam...; quaeso ut patiamini de studiis litterarum... paulo loqui liberius, et... uti...* (CIC. *Pro Arch.*, 2,3).

— Conjunctio *ut* saepe omittitur praesertim cum verbis *volo, nolo, malo, sino, licet, oportet, necesse est, fac*; quae constructio a veteri parataxi —seu coordinatione— procedit:

«*Tu velim... obviam nobis prodeas*» (CIC. *Ad fam.*, 14,18,2).

«*Quam primum velim litteras mittas*» (CIC. *Ad fam.*, 14,10).

«*Fac valeas*» (CIC. *Ad fam.*, 14,1,6).

«*Dicas licet*» (CIC. *Rosc. Am.*, 48,138). «*Arma capias oportet*» (LIV. 22,14,14)².

VIAM TIMEO: «*via*» = 'quae vehit'; proprie est locus eundi, quo itur seu per quem itur —ab homine factus—; et quasi ratione materiali sumitur; eaque voce Romani, sensu «concreto», vias illas stratas appellarunt quae ab Urbe in alias regiones ducebant: «*Via Appia, Via Aurelia, Via Latina, Flaminia*». *Viam* quoque dicimus per translationem, modum seu rationem aliquid agendi (*método*).

Iter vero proprie est 'eundi actus, itio, spatium quod ab homine percurritur'. Discrimen igitur percipies inter «*iter facere*» = *faire route vers; dirigrise a*, et «*viam facere*» = *faire (construire) une route; construire un camino*. Aliquando tamen hae voces sine discrimine usurpantur: «*in itinere*» = *chemin faisant, en chemin; en el camino*; «*in via*» *sur la route; en el camino*³.

1. Cfr. MAROUZEAU, *L'ordre des mots en latin* —vol. compl— Paris 1953, p. n. 111, 112, 115; BERGER, *Stylistique latine*⁴, Paris 1942, & 25; PAOLI, *Scriver latino*², 1965, & 85; 85 n. 3; 621,4,b; 300,2; CUPATUOLO, *Guida a tradurre in lingua latina*⁴, Firenze 1964, n. 24, b: p. 24; J. LLOBERA, *Grammatica classicae latinitatis*, Barcinone 1920, n. 403; J. ISSELÉ, *De latinorum sermone —Praecepta—*, Desclée 1936, n. 79.

2. Cfr. LLOBERA, *Grammatica*, n. 345; 332; ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe latine*², Paris 1964, & 328; 307; J. OUDOT, *Syntaxe latine*, Strasbourg - Paris 1964, n. 266; 268, 3.

3. Cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue latine*⁴, Paris 1959, s.v. *iter* et *via*; ERNOUT, *Aspects du vocabulaire latin*, Paris 1954, p. 145-149; ALTENHOVEN, *Synonymes latins*, Namur, 1932, n. 37.

TIMEO: *timere* est 'timore affici ex virium imbecillitate aut ex ignavia, (segnitia)'; *metuere*: 'metu prudenter affici'; metuit saepe qui cum cautione et circumspectione agit: «*timere* hostem - mortem»; «*metuere* insidias». «*Metus - timor*»: quae saepe synonyma habentur ⁴.

GRAVISSIME AEGROTASTI: aegrotat 'qui male se habet et infirmus —debilis— est ex dolore et labore morbi': > *aeger - aegrōtus - aegrōto*. «Morbum appellant totius corporis corruptionem; *aegrotationem morbum cum imbecillitate*» (CIC. *Tusc.*, 4,3,29). «*Ut aegrotatio in corpore, sic aegritudo in animo nomen habet non se junctum a dolore*» (CIC. *Tusc.*, 3, 10, 23) ⁵.

INEDIA: 'non edere'. — Memento: «edo, es, edi, esum, esse».
> *comedo - comestibilis* (lat. post.)
esca - esculentus - edulia, ium n. pl.

PURGATIONIBUS: 'actio purgandi; quod purgat, quod emundat'; cfr. *dare una purga a*: «aliquem purgare»; *prendere una purga*: «alvum purgare, ducere; sumere potionem medicam, purgationem».

VI: *vis, vim, vi* (tantum, in sing.); pl. *vires, ium*. > *violentus - violentia - violō - inviolatus* ⁶.

CONSUMPTUS ES: 'a viribus defectus es'; «vires te deficiunt»: cfr. «Si me vis aliqua morbi *consumpsisset*» (CIC. *Planc.*, 90).

«*Exercitus fame consumptus*» (CAES. *B. G.*, 7,20,12).

«*Maerore consumptus*» (LIV., 40,54,1).

GRAVES: 'grave, periculoso'. *Gravis* saepe ad loci salubritatem, ad valetudinem, ad corporis infirmitatem, ad morbos refertur: «*Gravis autumnus*» (CAES. *B. G.*, 3,2,3). «*Anni tempus gravissimum*» (CIC. *ad Q. fr.*, 2,16,1). «*Loci natura graves*» (LIV. 25,26,7).

«*Morbo gravis*» [equus] (VIRG. *Georg.*, 3,95). «*Gravis aetate*» (LIV., 7,39,1). «*Gravis adhuc vulnere*» (LIV., 21,48,4).

OFFENSIONES: 'incommodité physique, indisposition, malaise; indisposición, malestar, ataque': 'actus offendendi, *male se habendi; id quo quis male se habet*'.

Cfr.: > *defendo - defensor - defensio - defensito - infensus - offendo - offendiculum - offensa - offensiuncula - offensus*.

SOLENT ESSE: «*Simplicem* post se infinitum habent: Verba quae *posse, debere* et *solere* significant. *Qui mentiri solet, pajarare consuevit* (CIC. *Q. Rosc.* 16, 46)».

4. Cfr. ERNOUT, *Philologica II*, Paris 1957, pp. 7-17; ALTENHOVEN, *Synonymes 1.*, n. 43.

5. ERNOUT-MEILLET, *Diction, étymol.*, s.v. *aeger, morbus*.

6. ERNOUT, *Philologica II*, p. 112-150: *Vis - vires - vis*.

Memoria tene quattuor *semideponentia*, in quibus tempora actionis perfectae ut deponentia flectuntur:

audeo	<i>ausus sum</i>
gaudeo	<i>gavisus sum</i>
soleo	<i>solitus sum</i> (<i>solui</i> raro)
fido	<i>fidus sum</i> , et in compositis: <i>confisus sum</i> ⁷ .

SI QVAE CULPA COMMISSA EST: «culpa» proprie significat 'incuriam diuturnam': *descuido*, *negligencia*, id est potius *statum* designat, quam rem commissam seu *delictum*, *scelus*, *peccatum*.

Animadvertite locutiones:

- «culpam in alium conicere» (CAES. B. G., 4,27,4).
- «Suam culpam in senectutem conferunt» (CIC. C. M., 14).
- «Culpam transferre» (CIC. Font. 18).
- «Culpam derivare», («vertere in aliquem») (CIC. Verr. 2,92).
- «Culpam sustinere» (CIC. Leg. 3,37).
- «Qui in se suscipere istius culpam cuperet» (CIC. Verr. 4,91).
- «In culpa esse, versari. Culpa est in aliquo. Culpa est alicujus. A culpa abesse. Culpa carere. Culpam committere, contrahere. Aliquem in culpa ponere. Aliquid culpae dare, tribuere, assignare. Aliquid in culpam convertere».

— Animadvertite quoque: «*Si quae*»... = *si qua* (pro «*si aliqua*»).

AD ID BIDUUM: *ad* pendet ab *accedent*. — «Biduum» ducitur a voce *dies*, sed a vetusta forma *diwon*: in vocibus *bīduum*, *trīduum*, *quadriūduum*, *merīdie*, *prīdie*, *cottīdie*, *ī* producitur (: contra in *biceps*, *tri-ceps*, *quadriennium*, *triennium*, cet., in quibus breve est)⁸ — Cur vero in illis vocibus *i* producatur nulla proposita est apta explicatio.

QUOD FUERIS IN VIA: *quod* est accusativus temporis —*accusativus* enim adhibetur cum spatium temporis praeteriti vel futuri exprimitur, raro ablativus—. — Rem facilius intelleges: «*Biduum* eris in via»: *durante dos días*.

FUERIS: fut. *perfectum*, quia *prius* «erit in via», seu id *prius* perficietur, absolvetur, quam in Cumanum veniat.

DUM VENIS: dum significat actionem simul factam cum primaria, et «uno temporis momento»; quod si *temporis spatium non indicat*, indicativo fere semper effertur —praesenti, imperfecto, perfecto—; potissimum vero praesenti:

- «Haec civitas, dum *erit*, *laetabitur*» (CIC. Lael., 4,14).
- «Dum *fuit*, *dedit*» (PLAUT. Truc., 217,).
- «Dum haec in colloquio *geruntur*...» (CAES. B. G., 1,46,1).

7. Cfr. LLOBERA, *Grammatica*, n. 341; ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe 1.*, & 272, c.

8. Cfr. ERNOUT-MEILLET, *Diction. étymol.*, s.v. *dies*.

IN CUMANUM: villa rustica Ciceronis, Cumis, in Campania, prope Neapolim.

ACCEDENT: idem valet atque «addi» = *addentur*: «Accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque morum» (Cic. *Lael.* 18,66). — Regimen proprium hujus verbi esse videtur «ad id biduum»; hic ergo est sensus: «Ad biduum — quod eris in via dum in Cumanum venis *accedent* ad reditum [ut redeas] quinque dies».

Huic significationi «addendi» similis est forma impersonalis: *accedit quod, huc, eo, eodem accedit quod*; «Accedit illud etiam quod» (Cic. *Div.*, 2,58). «Ad occupationes meas *accedit quod*» (Cic. *Att.*, 1, 19,1). Et etiam: *accedit ut*: «Ad Apii Claudii senectutem *accedebat etiam ut* caecus esset» (Cic. *C. M.*, 6,16).

CONTINUO: 'ilico, statim post'.

AD REDITUM: «retour - vuelta - regreso». Cfr.: «reditus ad propositum; reditus in gratiam cum aliquo».

Cfr.: > *itus, itio - reditus (reditio) - ambitus, ambitio - exitus - seditio - exitium - initium*...

— In hac sententia animadvertite et orationum caesuram —seu intersectionem— et subjectum in fine:

«jam ad id biduum accedent dies quinque».
quod fueris in via

EGO... ESSE VOLO: praeponitur pronomen personale et a verbo segregatur, quo duplici quasi praestantia augetur⁹.

ESSE VOLO: verba *voluntatis* et *optandi* cum simplici infinitivo construuntur, si subjectum est idem, et cum accusativo et infinitivo si est aliud: «volo esse clemens»; «volo hoc facere». «Volo te hoc scire»; «te videre cupio»; cfr. supra: «ego vero *cupio te ad me venire*».

ANTE DIEM III KAL. [majas]: Romani —non ut nos dies mensium computabant, neque hebdomadas cognoverunt— sed primum mensis diem *calendas*, quintum *nonas*, tertium decimum *idus* vocabant; mensibus tamen *martio, majo, julio, octobri* [rem tene: *mar-ma-jul-oc*] *nonae* septimo die et *idus* quinto decimo erant. Quis vero dies calendarii hodierni rationi numerandi Romanorum respondeat ut expedite assequaris, primum partes mensis romani (*calendae, nonae, idus*) tibi inspiciendae sunt; deinde recensendi quot dies intercedant a *dato die nonarum, iduum, calendarum* [= III - V - XV] ad ipsum diem quo in calendario romano *nonas* [= 5 (7)], *idus* [= 13 (15)], *calendae* [= 1] habebantur: hisque diebus *duo semper addas oportet* — id est computandus est numerus qui datur et qui est nonarum, iduum, calendarum proprius —. Ita *III kal. majas* erit dies 29 m. aprilis; quia

9. Cfr. MAROUZEAU, *L'ordre*, n. 111; et supra in adn. «EGO VERO».

kalendae majae habebantur primo die m. maji, et aprilis 30 diebus constat; ergo tres dies intercedunt a 29 ad 1 = 29 - 30 - 1.

Dicitur *III* (tertio) *kal. majas* et saepius *ante diem tertium kalendas majas*, quod scribi solet *a. d. III kal maj.* (in compendio seu breviatione fere littera *K* = *kal.* retinetur, et nomen mensis adjective sumitur: «*calendis aprilibus*», minusque recte in genetivo ponitur)¹⁰.

OFFENDAM: *offendere* hoc sensu est 'invenire': «Nondum perfectum templum offenderant» (CIC. *Verr.* 4,64).

FIRMUM: *firmus* est 'validus, corpore valens': «Nondum satis firmo corpore» (CIC. *ad fam.*, 11,27,1).

EFFICE: verba *efficiendi, enitendi, curandi* et alia subjunctivum postulant, cui particula *ut* additur: «*Perfice ut sis in familiaribus Caesaris*» (CIC. *ad fam.*, 7,7,2). «*Cura ut vir sis*» (CIC. *in Cat.*, 3,5,12).

MI TIRO: in universum pronomen possessivum subsequitur nomen —quia *qualitatem* seu *discrimen* aliquod homini addit est adject. qualitatis—: «*pater noster, filius meus*»; sed praecedit nomen cum singularis animi significatio exprimitur, in vocativo praesertim, ut hic: «*mi Tiro*»¹¹.

LITTERULAE TUAE SIVE NOSTRAE: [*mis studios literarios, mis aficiones literarias*]: addit *nostrae*, quia Tullius Tironis opera maxime utebatur in scriptis apparandis exarandisque — Deminutivum [*litterulae*] aliquid animo pergratum significat¹².

TUI DESIDERIO: «desiderium» est a v. *desidero*. Antiqui scriptores hoc verbum cum voce *sidus* conjungebant ab eoque ducebant: «*Desiderare et considerare a sideribus dici certum est*» FEST. P. F. 66,7; et cum *templo* et *contemplor* affinitate quadam conectuntur. — *Desiderare* est 'non cernere, rem absentem dolere eāque aegre carere': unde 'quaerere, desiderio affici'. — TUI DESIDERIO: genetivus objectivus.

OBLANGUERUNT: *oblanguesco* est 'languidum esse, languore affici, incipere languore affici': verbum inchoativum quod et initium et progressionem in *languendo* significat; cui notioni —*progressûs*— praefixum *ob-* majorem vim addere videtur, ut in verbis *obdormisco, obduresco, obmutesco, obstupesco, obticesco*, in quibus aliqua verbi inchoativi intensio perspicitur. Perfectum — in quo deest suffixum *-sco* non est inchoativum (*oblanguerunt*), sed a v. *oblangueo* — notionem 'actionis absolutae' addit; ideo: «*litterae meae, scripta mea languida erant, quiescebant, eis manus non admovebam*».

De *aspectu verbali* (cfr. vocem in lexico P. SPRINGHETTI) alias; sed verba MEILLET-VENDRYES meminisse juvabit: «Un préverbe ajouté au verbe a généralement pour effet de fixer l'attention sur un point de

10. LLOBERA, *Grammatica*, n. 591; 203.

11. Cfr. MAROUZEAU, *L'ordre*, n. 45.

12. P. MENNA, *Aspetti sintattici e lessicali... nelle lettere ciceroniane*, pp. 104-111.

développement de l'action; il met naturellement en évidence le moment où le procès se réalise; c'est-à-dire qu'un verbe muni de préverbe tend à prendre une valeur voisine de l'aoriste, qui exprime le procès purement et simplement»¹³.

OCULOS PAULUM SUSTULERUNT: apposita metaphora qua scripta Ciceronis, quae somno et languore oppressa quiescebant, nunc oculos aperire, attollere incipiunt; simili metaphora usus est Tullius in epistula ad eundem Tironem (*ad fam.*, 16,14): «Excita ex somno tuas litteras humanitatemque, propter quam mihi es carissimus».

POMPEJUS: Gneus Pompejus, Magnus a militibus appellatus, nobilissimus Romanorum dux et in tractanda re publica peritissimus (a. 106-48 a. Ch.). Fuit consul (a. 70 et 52) et cum Caesare et Crasso triumvir (a. 60 et 56); a Caesare in pugna Pharsalica victus, et in Aegypto, quo aufugerat, occisus (a. 48 a. Ch.).

ERAT APUD ME: «*Ad et apud* accusativae sunt praepositiones, ut «accede ad me»; qui domi nati sunt apud me». SCARRUS, cf. ERNOUT-MEILLET, Dict. s.v. *Apud* usurpatur fere cum nominibus personae et pronomibus personalibus.

CUM HAEC SCRIBEBAM: *cum* temporale; exprimit punctum temporis quo aliquid fit, et ideo cum rem, factum, tempus reale significet, *indicativo* effertur¹⁴.

SCRIBEBAM: imperfectum epistulare: «In stilo epistulari usurpatur saepe *imperfectum pro praesente et plusquamperfectum pro perfecto*; nam scriptor mente transfertur ad tempus quo litterae legentur»¹⁵. Ideo cum Tiro epistulam accepit, mente secum dicebat: «Pompejus tunc *erat* apud Tullium, cum is epistulam *scribebat*». Non semper tamen adhibentur tempora epistularia.

Animadvertite intersectionem:

<i>Pompejus erat apud me</i>	<i>cum haec scribebam,</i>	<i>hilare et libenter.</i>
------------------------------	----------------------------	----------------------------

HILARE: ab adj. *hilāris*, *e* vel *hilārus*, *a*, *um*; 'joyeus - alegre - allegro'; cfr. > *hilaritas* - *exhilaro*; *hilaris* et *tristis* opponuntur.

EI CUPIENTI: Tullius adhibet pronomen «anaphoricum» seu relationis *is* —non vero demonstrativum *ille*— quia ad personam supra memoratam —Pompejum— refertur. *Ei* pendet a v. *dixi*.

CUPIENTI: participium conjunctum seu cohaerens cum re vel persona sententiae principalis, —«*ei dixi cupienti*»—; quod participium saepe locum tenet orationis secundariae: temporalis, condicionalis,

13. *Traité de grammaire comparée des langues classiques*³, Paris 1963, & 450, p. 302; cfr. etiam MAROUZEAU, *Traité de stylistique latine*⁴, Paris 1962, p. 130-134; ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe 1.*, & 237-38.

14. Cfr. ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe lat.*, 359; LLOBERA, *Grammatica*, n. 303.

15. LLOBERA, *Grammatica*, n. 300.

causalis, finalis, relativae: «Omne malum NASCENS [= cum nascitur] facile opprimitur» (Cic. *Phil.*, 5,11,31). «Curio ad focum SEDENTI [cum sederet] magnum auri pondus Samnītes cum attulissent, repudiati sunt» (Cic. *C. M.*, 16,55). «Aranti [= cum araret] Q. Cincinnato nuntiatum est eum dictatorem esse factum» (Cic. *C. M.*, 16,56)¹⁶.

AUDIRE NOSTRA: abstractum pro concreto. Pronōmina —et adjectiva— praesertim possessiva saepe substantive sumuntur, et notionem rei concretae secum ferunt. *Nostra* = «mea scripta» [‘mis producciones, mis trabajos literarios’]. «*Multa* tulit fecitque puer» (HORAT. *Ars. poët.* 413); et infra: *omnia mea*; et item: *nostra* = «mea promissa».

DIXI... MUTA ESSE: praesens infinitivi —esse—, quia actio fit eodem tempore quo actio verbi primarii —*dixi*—.

TU MUSIS NOSTRIS PARA: adest pronomen personale —*tu*— et a verbo separatur.

MUSIS NOSTRIS: *musae* eo quoque adhibentur sensu qui est: ‘studia, studia litterarum; assiduitas, diligentia in litterarum et artium studiis’.

PARA UT: oratio finalis.

OPERAS REDDAS: «opera» est ‘id quod sua actione opifex facit’. Redde: [‘preparate, está a punto para entregarte a nuestros trabajos, a nuestras actividades literarias’].

AD DIEM DICTAM: *dies* in singulari numero aliquando est generis femeni praesertim cum diem *certam, definitam* designat.

FIENT: memento in verbo *fio* ï oblongum esse cum *r* non subsequitur.

DOCUI: doceo, praeter accusativum personae saepe alium rei secum habet. Disparae sunt constructiones et: *doceo grammaticam* (= «trado grammaticam») et: *doceo te, doceo pueros* (= «instituo, erudio pueros»), quae, in oratione conexas, singulae suum retinent accusativum¹⁷.

Pro altero accusativo hic habemus orationem «fides etymon quod haberet» = *docui te* (: quid? =) *quod etymon fides haberet*.

Justam temporum consecutionem attento animo considera, nam, ut bene meministi, tempus *secundarium* orationis primariae postulat tempus *secundarium* in oratione subordinata; quod aliter fit in linguis hodiernis praesertim in *oratione interrogativa*: quae, si a tempore *secundario* vel perfecto logico pendet, quamvis sententiam generalem proferat, latine *imperfectum* expostulat: «*Quaesitum est quid esset* rhetorice» [: ‘cosa sia - qué es, que sea’]. «*Flumina ipsa senserunt quid esset amor*» [‘qué es’...].

16. Cfr. *Idem*, n. 364; ISSELÉ, *De latinorum serm.*, n. 297.

17. Cfr. ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe lat.*, & 50, p. 37; M. BASSOLS, *Sintaxis latina*, Madrid 1963, I, & 45, 3, p. 59.

FIDES: Tullius in verbis *fides* et *fieri* quasi jocando, id animo fingere videtur, ut *fides* sit 'id quod fit'.

ETYMON: saepissime verbis graecis utitur Tullius in primis in epistulis ad familiares et maxime ad Atticum.

Hanc vocem (*etymon*) latine usurpavit Varro (*R. R.* 1,48,2) et Gellius (18,4,11); «etymologiam» Quintilianus (*Inst. orat.*, 1,6,28); «etymologicen» Varro. Quibus verbis usus est etiam Tullius sed graeca scriptione. Neque est cur latine scribentes nimio animi angore et scrupulo ab his absteineamus.

Possunt etiam adhiberi *vis nominis* (CIC.), *veriloquium* —quo Tullius latine reddidit v.gr. *etymologiam* (*Top.*, 35)—, *nominis enodatio* (CIC.), *verbi originatio* (QUINT. *Inst. orat.*, 1,6,29).

FAC PLANE UT VALEAS: cum imperativo *fac* saepius particula *ut* omititur: «Quid agatis... fac plane sciam».

PLANE: idem ac *prorsus*, *omnino*: «Vix vel *plane* nullo modo». (CIC. *ad Att.*, 11,9,3). «*Plane* periisse» (CIC. *ad fam.*, 14,4,3).

Aliquando invenies: «perfecte planeque» —penitus planeque— plane atque omnino».

NOS ADSUMUS: «ego rei faciendae adsum»; sed cui rei? Ut, quae Tironi promiserat, perficiat? Ut cito cum Tirone in Tusculano conveniat?

XIV KAL. «quarto decimo calendas majas», qui dies, ut supra diximus, erit: $14 - 30 = 16 + 2 = 18$; ergo die *duodevicesimo mensis aprilis*.

EXERCITATIO LOQUENDI ET SCRIBENDI

- | | |
|---|--|
| Scisne, adulescens, quare Cicero, <i>Tullius</i> vocaretur? | — Quia e gente <i>Tullia</i> , apud Romanos nobilissima, originem ducebat. |
| Interpretare mihi hanc epistulam ad Tironem missam. | — Libenter id quidem faciam, praeceptor. Cicero scribit Tironi, servo carissimo, et quamquam cupit eum ad se venire, timet tamen viam. |
| Quare? | — Quia Tiro gravissime aegrotaverat; atque inedia et purgationibus et vi morbi consumptus erat. |
| Cum quis aegrotat ubi permanere tenetur? | — In lecto jacet —lecto tenetur—, quod probe scio cum aliquando, hiberno in primis tempore, febris laboro —in febrim incido—. |

- Qui aeger est, cibo delectatur? — Minime, sed cibum fastidit — cibi satietate tenetur.
- Quid inde? — Inedia et vi ipsius morbi consumitur.
- Quid est purgatio? — Purgare est alvum ducere; nostri tamen medici ab his purgationibus admodum abhorrent, aut saltem non ut veteres eas aegris praescribunt.
- Quid in gravibus morbis accidere solet? — Solent esse graves offensiones.
- Ubi erat Cumanum? — Cumis, quae urbs in Campania est prope Puteolos et Neapolim.
- Litterisne operam dabat Cicero in Cumano? — Minime vero; sine Tirone litteras attingere non poterat; quia ejus desiderio litterarum studia prorsus languerant, et quasi somno opprimebantur.
- Sed quid adventu Acasti accidit? — Litterae e somno excitari et oculos erigere visae sunt.
- Quis apud Ciceronem erat? — Pompejus, qui hilare et libenter cum Cicerone versabatur; hic tamen omnia sua muta esse sine Tirone dixit.
- Curnam? — Quia Tullius Tironem plurimum diligebat et in magna erat sollicitudine de ejus valetudine.
- Quidnam tandem pollicetur? — Libertatem, qua paulo post eum donavit.

· JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor

· Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197 ROMA.

NUNTIUS ILLE SEPTEM PETASIS INDUTUS *

Cum doctor latinis graecisque litteris tradendis amoenum in id oppidum, cuius nomen de illa Acidis et Galateae fabula nos admonet, primum ego missus essem, numquam vero putaveram fore ut in vestito illo rei publicae Lyceo, cui «Gulli e Pennisi» est inscriptio, tam diu manerem, ut vel ipsi veterum discipulorum filii mihi deinceps discipuli essent.

Anno enim MCMXXXIX p. Chr. n. illic primum docui.

Cum equidem Catinae — qua in urbe natus sum — adhuc habitem, paterna in ea domo ubi puerulus adolevi, ad munus meum exsequendum motorio curru uti cogor quotidie. Viae, igitur, plaustris ac pilentis tritae eidemque periculorum plenae me committens, quam celerrime iter facio, tamquam si cursu sit certandum, quo tempestivius in schola adsidam, nimiae morae admodum impatiens pro micantibus alterni transitus indicibus, quos «semaphoros» vulgo appellant, si vehiculi impetus subito ac paulo diutius rubro comprimitur lumine. In viam, quae Marchioni Antonio di Sangiuliano est dicata, discipulis frequentem ac discipulabus, strepente invecus carrhuca, nequiquam consistere conor haud procul ab ipso Lycei limine, ubi vehiculum in tuto idemque praesto sit mihi. Salute autem ultro citroque accepta redditaque omnibus, citato gradu scalas ascendo, quibus excelsa imminet araucaria ex finitimo exstans hortulo illius studiosorum Academiae, quam «Zelanteam» appellant, qua Acis Regalis merito gloriatur.

Haud invitus, immo laetus, tribus deinceps in meis Lycei classibus scholas habeo, alternis vicibus succedens collegis, donec tinnulus strepentis semel atque iterum crepitaculi sonitus, electrica motus vi, extremam docendi horam abiisse significat. Tum tabulas iudiciorum pensorumque fasces in loculatam arcam recondo una cum caeruleis miniatulisque cerulis et, consalutatis omnibus, scalas raptim descendo citioreque curru receptus Catinam redire propero.

Quae cum ita sint, quidnam est mihi satis notum de luculento hoc oppido, quo commeare cogor quotidie? Nempe, medius fidius!, nihil quidquam, exceptis iis, videlicet, Acidis et Galateae fabulis, quas olim Graeci tradiderunt; prorsum nihil, mehercule!, praeter Bacchanalia illa, cum personati omnes per urbem crebris luminibus lucentem multa nocte cives discurrunt ac peregrini, cum agminatim procedunt via publica immanes iidemque miri et absurdi currus innexis floribus versicoloribusque taeniolis ornati atque venustulis conferti puellis, ludicra conicientibus missilia joculariaque inter se fundentes.

* Estratto da «Memorie e Rendiconti» dell'Accademia di Scienze Lettere e Belle Arti degli Zelanti o dei Dafnici di Acireale - Serie I, Volume IX, 1969.

Quid ergo? En, cum ipse abnuere nolim, ne spernere et contemnere videar, ea haud mollia tam insignis Academiae Praesidis jussa (quin etiam summo mihi duxi honori a maxime colendo magistro, a Christophoro illo Cosentini, inquam, me tanta comitate rogatum esse ad aliquid latine scribendum de hocce incluto oppido, quod mirabili ex summae arcis viridario late patens mare Jonium prospicit), in summis nunc versor angustiis, siquidem ego non sum prorsus historiarum scriptor nec priscas pulverulentasque membranas ceterum requirere ac volutare me oculis laborantem juvat.

Denique, ad levia potissimum tractanda cum aptus sim ac promptus natura, quippe qui scriptor quidam existimer, haudquaquam rerum gestarum inquisitor, praetermissis omnibus historiarum loci argumentis, veluti miro quodam mentis furore instinctus, chartis nunc id illinere volui, quod ingentem mihi jam pridem spectanti movisset admirationem.

Ignoscatis precor, cives, si virum quemquam magni momenti, vestra olim natum in urbe posteraque laude cumulatum, laudibus ego extollere nequeo, si quendam nihili hominem illustrandum suscipio, vestrum, inquam, municipem illum, cui praenomen est Nuntius, qui omnibus autem est hoc agnomine notus: «Septem petasis indutus», vel potius, uno verbo, «Septipetasatus» (quod nomen ipso Siculorum sermone «Setticappeddi» prorsum sonat, sed qui Siculi non sunt, ii cum duplicem litteram «dd» dicere nequeant perperam ac putide pronuntiant). At, mehercules!, visum est mihi aliquid tribuere honoris huic homini, quem vulgus irrideret, quod septem magnos petasos ad caput ille cunctos sibi aptaret, qui magni ceterum esset aestimandus.

Fuit quidem Nuntius iste antehac vir quidam frugi, eruditulus ac prudens, quin etiam — vera si mihi percontanti retulere — fuit bonus ludi magister. Bello autem secundo omnium gentium coorto, ad arma Nuntius cum evocatus esset, die quadam, en, acie dimicans, in capite haud leve vulnus accepit, crebris diruti globi fragmentis ictus vel potius transfixus, neque exinde in pristinum statum jam rediit, quamvis, valetudinarii hospitio benigne receptus, medentes ita effecissent, ut corporis, nisi animi, vulnera saltem sanarentur. Ergo, qui sui compos antea fuerat nec non quid oporteret ipse optime noverat, is deinde prudentiam quandam ac mentem — eheu! — amisit. Ex valetudinario autem dimissus, cum eadem ac prius jam agere nequiret, quippe qui tardi ingenii esset denique factus, ubi domum rediit, si quid melius erat omnino defecerat, laturam quandam facere instituit. Itaque, humili ac tamquam puerili plostello instructus, cum industriam in transvehendis oneribus contulisset, bajuli operam omnibus locavit: quicquid magni ponderis ei transportandum traderetur — cum res frumentaria congestis saccis condita, tum utriculi mustorum vinorumve pleni, cum carbones, tum cullei olearii —, gerulus ille septem ornatus petasis ingentibusque calceamentis indutus transvehebat, sarcinosum plostellum loris restibusque trahens, utpote qui lacertis poplitibusque

multum valeret: erecto corpore immanem oculisque prae se defixis, per urbis vias sensim ac pedetemptim procedere videres, sarcinas ei redditurum ad quem mitterentur.

Quaesiverit nunc quispiam num hujusmodi gerulum adhiberi magis decuerit, cum multa jam sint motoria illa plaustra, ut «Apes» quae dicuntur, quae parvo pretio omnia transvehere possint onera.

Sane quidem, hercle!, omnino decuit: non solum quia ex Nuntii inscitia stultitiaque omnes facile praedari poterant, aliquid nummularum dumtaxat pro vectura solventes, sed etiam quia nonnullis viis semitisque, nimiam ob vehiculorum turbam euntibus obstantem, motoriae raedae quoquoversum transire vetantur, cum autem Nuntius ille, pedes quamvis plostello subditus, compendiariis viis quocumque celerius contendere posset. Nec quisquam ex urbanis vigilibus alioqui reprehendebat aut pecunia multabat, si quando in contrariam partem eunti occurrebat, ad currum conjuncto, scilicet, quin etiam comiter subridens aliquid jocabatur, septem illos petasos significans, quibus Nuntius ad oculos fere depressis uti solebat, tamquam si acriora frigora sibi essent arcenda.

— «Estne tibi rescriptum, quo gubernandi vehiculi facultas tibi conceditur? An deficit jam ipsa rescripti vis? Dic, septem gestas adhuc petasos, an alios ad pristinum numerum addidisti?».

Molestiam sibi allatam plaustorum «Apium»que rectores jocosè exprobant:

— «Hei, tu nostrum occupas ministerium, nos ita aemulatus, ut perniciem nobis struas... At nobiscum tibi in eodem est vivendum pistrino: tu quoque igitur motoria raeda uti juberis actutum!».

Minime suscensebat Nuntius, immo ridebat, veluti si quis honorificis verbis ipsum prosequeretur.

Cum autem frigoris et solis patientem iisque bajulandi laborius quasi invictum crebri conspexissent pueri, proterve cachinnantes tum «Septipetasatum» illum conviciis incessebant, nec tamen Nuntius jocosas ob contumelias sannasve stomachabatur neque increpabat circumsaepientes, quin etiam, majestate quadam inflatus, leniter arridebat, usque procedens eo, quo tendebat, placide ac secure, utpote «pauper spiritu» atque «mundo corde» beatus.

Quamquam multos ac praestantissimos civitas ista genuit viros, philosophos et artifices, quorum nomina semper cluebunt, hujusce dumtaxat Nuntii nomen — quod in omnium ore adhuc versatur, pro ipso hominis ingenio et moribus, scilicet — vel minima patiemur aliquando postera carere laude? Minime vero! Cum igitur aliquod tale nemini prius venerit in mentem, en, ego eorum, quicumque his temporibus latine scribunt, pessimus, quamvis nimius Ciceronis amator atque imitator, huic nondum scriptis traditi nominis errori nunc ita mederi volui, ut «Septipetasati» Nuntii memoria numquam aliquando oblitteretur, non mea, sed auctoritate Academiae quae meas edidit paginas. Nam, si parva licet componere magnis, si humiles harundi-

nes proceris abietibus, Nuntius, bajulus ille septem petasis conspicuus et insignis, dignus plane videtur qui sapientiae laude in posterum perfruatur. Quidni ego ita censeam? Nam ille fuit...

Hic, vero, vehementer miratus quaesiverit quispiam, jamdudum interpellaturus, abiecta denique omni cunctatione:

— «Quaeso, cur praeterito sermonis tempore saepius usus es? Non vivit jam Nuntius iste? Estne is mortuus?».

Vivit, profecto, vivit ad hoc tempus, sed in ferendis oneribus versari nuper intermisit, veluti exauctoratus et emeritus, postquam ille cunctam semel exegit jam diu debitam pecuniam ejus annui benefici, quod male validis propter bellicos labores res publica, pro suis cuique meritis, tribuere solet.

Macte virtute! Optime! Ubi semel Nuntius bene nummatus denique factus est, «ex humili potens», si Horatii verbis uti licet, tum cessavit — ut mihi retulere — itaque ratione vitae ilico mutata, qui pannosus fuerat, utpote qui manuum mercede inopiam toleraret, is elegantioribus quodammodo indutus vestimentis idemque septem illis exutus petasis, at uno tantum pileolo nec sordido nec lacero praeditus, in plateis, pro popinis, ante maximi templi aream, negotiis vacuus et otiosus nunc versatur, imaginem suam, eccere!, in vitreis tabernarum januis, tamquam in speculo, aspiciens, vel sibi ventulum jactato faciens pileolo, vel odoratos ex nicotiniaco bacillo hauriens vapores caeruleum fumum leniter volventem in auras summa laetitia contemplatus.

Si quis Nuntio nunc occurrat, forsitan haud facile recognoscat: nam pulchellus quidam et admirabilis vir sane videtur, ut dicunt, unus ex trossulis iis, desidiosus et ignavis, quos pro thermopoliis vulgo aspicere licet, sese ipsos mirantes inusitatum ob vestium genus prolixamque ob comam.

Ipsaequidem jam ei non occurri, quoniam — ut supra dixi — docendi munere functus, omnes salvare iubeo neque ulla necessitate coactus in Acidis Regalis viis diu commoror, at autoraeda receptus Catinam versus propero, unum idemque iter semper conficiens, ubi Nuntius jam versari non solet, sicut hoc ante tempus.

Prof. HUMBERTUS DE FRANCO
Via del Velo, 13
CATINAE (CATANIA) in Italia

H O R I S S U B S I C I V I S

DE VITAE ORIGINE VARIAE SENTENTIAE

A. Aristoteles dixit: Anguillas de vermibus et vermes ex limo nasci. Ad saeculum decimum sextum ranas ex limo nasci firmiter viri docti putabant.

B. Apes et crabrones ex stercore bovillo. Goethe putavit pulices ex scobibus urina imbutis oriri.

C. Sacerdos quidam Scoticus saeculo decimo octavo per experimentum statuit animalia «infusoria» ex materia inorganica nasci. Ergo est «generatio spontanea».

A. Dictum tuum est verum. Nam Lazaro Spallanzani cognovit, si temperatura lagenae, in qua infusoria vivunt, magnopere calefiat, nulla jam infusoria nasci, nisi ante spermata ibi existant. Ergo nulla est generatio spontanea.

B. Audite, amici. Anno 1651 William Harvey Britannus, docuit: «Omne ovum ex ovo. «Quod contradicit omnem vitam a Creatore esse procreatam. Quid ad hoc Videtis scientiam biologica[m] sese lente evolvisse.

A. Accedit ad hoc: Theodorus Schwann, germanus, medio saeculo praeterito docuit. Omnia corpora viva ex cellulis constant. Omnis cellula ex cellula nascitur. Eodem tempore Pasteur, gallus: Omnia bacteria ex spermatibus vivis oriuntur. Ergo si quis generationem spontaneam deneget, ad miracula confugere debet. Porro Lorenz Oken, germanus, lucide demonstravit animantia viva ex limo radiisque solaribus imbuto oriri. Quid ultra quaeritur?

B. Addidit Naegli, germanus, omnia animantia ex eadem materia formari et in eandem reverti, ex quibus natura inorganica constet. Sed theologi, revelationem divinam timentes sententiam hanc accerime impugnabant, tamquamsi haec lex naturalis revelationi quicquam detraheret.

A. Nonne meministis Ernestum Haeckel, germanum, aliquando dixisse fieri non posse, quin generatio spontanea existeret.

B. Ergo, si rem bene perspiciam, Deus semel creasse dicendus est nec pluries. «Fiat lux et facta est lux.» Neque enim omnia revelavit, sed imperavit, ut homines veritates indagarent, donec paulatim altius in rerum naturam penetrarent.

A. Sed ut colloquio finem imponam, statuendum videtur, quid ad vitam necessarium sit. Requiritur: Omne animans primum debet materiam a se alienam in se suscipere et hanc in suam mutare. Deinde debet per causas internas se mutare et mutata discernere et secreta complere. Tum debet se movere et per causas internas dividere. Denique debet qualitates cum partibus communicare. Ad ultimum debet sibi similia procreare. Ergo omnia animantia apta esse debent ad se sustentandum et ad omnia munera, quae exercent, ordinandum.

DE TEMPORE

Tempus edax rerum. Tempus est aenigma profundum. Augustinus, qui tantopere de eo cogitarat, tandem est confessus. «Nisi me quaeras, quid sit, novi, sed, si me quaeras, nescio». Solent gentes tempus in tria spatia dividere: Praeteritum, praesens et futurum.

Praeteritum est abyssus illa, in quam omnia, quae dicimus, cogitamus et agimus, confluunt. Nec quicquam istinc reveritur. Nam praeterita in quandam necessitatem transeunt. «O si praeteritos referat mihi Juppiter annos». Quod est factum, in aeternum factum manet. Nec ullis precibus revocare potes.

Quid est praesens? Vivimus velut in acie gladii. Sicut de fonte Alpino guttam sequitur gutta, sic nobis ex aeternitate minuta minutam consequitur. Antiqui praesens pingebant duas alas habens.

Futurum vero maxime obscurum est. Nil de eo promittas. Est enim velut ramus marcidus, cum inniteris, decides. Quid de nobis post annos mille erit? Dic mihi quaeso. «Ibunt alteri in vitam aeternam, alteri in cruciatos aeternos». Alteris lucebit lux aeterna, alteris tenebrae densae. Alteri erunt filii Dei, alteri filii diaboli. Alteri gaudebunt, alteri tormenta patientur. «Quaecumque enim seminaverit homo, ea et metet». Inde Flaccus: «Carpe diem». Scriptura dicit: «Fili, praebe mihi cor tuum». Paulus: «Redime tempus. Jam nullum jam erit tempus».

QUID HOMINES DE ANIMAE IMMORTALITATE SENSERINT?

Anima natura est mortalis, immortalis solum per gratiam sanctificantem. Quod hodie ubique constat, nam sese paulatim evoluit. Omnes gentes et tribus integrae id et crediderunt et etiam hodie credunt. Deus semel creasse est dicendus. Sed mundum ita instituit, ut omnes creaturae paulatim sese evolverint. Ergo non omnes animas particulariter creat.

Graeci autem et Romani animam immortalem esse negarunt. Ideo: «Hodie est vivendum». Quare vel optimi maxime melancholi fuere. «Omnia aliena sunt, tempus tantum nostrum est.» (Seneca ep. 1,3). «Res severa gaudium.» (ep. 23,4). Praeteritum ad memoriam pertinet, futurum ad spem. «Rapiamus, amici, occasionem de die.» «(Flaccus epod. 13,3). «Veritatem dies aperit». (Seneca de ira, 2,22,3). «Utere tempore.» (Ovidius, Tristia 4,3,83). Cicero: «Tempori serviendum est.» (Ad Atticum 10,7,1).

NICOLAUS MANGEOT, S. J.
 Haus Sentmaring
 44 Münster (Westf.)
 Sentmaringer Weg 55-57

BIBLIOGRAPHIA

KARLHANS, A. — *Bauformen in Senecas Dialogen*. Heidelberg 1967, Carl Winter Universitätsverlag, pp. 200.

ILSETRAUT HADOT, *Seneca und die griechisch-römische Tradition der Seelenleitung*. Berlin, Walter de Gruyter, 1969, pp. 232.

Duo opera de Seneca lectoribus praebemus, in quibus penitus enucleantur quaestiones inter se diversae: primum enim de ratione et compositione dialogorum apud Senecam auctor agit, alterum vero de doctrina quae ad animarum ductum a Seneca proposita spectat, quatenus cum scriptoribus graecis et latinis conveniat vel discrepet ab eis. Utrumque opus inquisitionem continet ad gradum doctoris adipiscendum, primum in universitate Marburgensi, alterum in Berolensi universitate; primum C. Becker et E. Burck virorum clarissimorum consiliis ductuque inter alios, alterum G. Rohde († 1960), praesertim auctorata doctrina confectum.

Karlhans in disquisitione pedetentim investigat hos quinque Senecae dialogos: Dial. 6 *Consolatio ad Marciam*; 11 *Consolatio ad Polylium*; 12 *Consolatio ad Helviam matrem*; 1 *De providentia*; 2 *De constantia sapientis*. Plura quoque addit de chronologia dialogorum et de critica Senecae textus, non derelicta bibliographia quae copiose ad rem pertinet.

Hadot duplici ratione opus totum dividit. In prima parte proponit fundamento doctrinae Senecae de directione animarum, attente inquirendo quid historia, quid philosophia de hac

re potissimum ferant; in altera vero, Senecae opera magna cura percurrendo, principia colligit et declarat, quibus animae praecipue ad virtutem beatamque vitam ducuntur.

Utrumque opus magni momenti est ad Senecae doctrinam bene interpretandam.

SOCIEDAD ESPAÑOLA DE ESTUDIOS CLÁSICOS, *Bibliografía de los Estudios Clásicos en España (1956-1965)*. Madrid, 1968, pp. XVIII-486.

Societas Hispana Studiorum Classicorum anno MCMLVI primum ediderat volumen, quod libros disputationesque recepit rerum classicarum in Hispania ab anno MCMXXXIX ad annum MCMLV editarum. Nunc recens in hoc altero volumine recepta sunt simili modo opera studiaque ab illa aetate usque ad annum MCMLXV publici juris typis facta. Opus labore quidem arduum, sed magnae utilitati futurum, ideoque omni laude dignum. Continet enim, distinctis rubricis collectis, et omnia quae ad litteras sive scriptores tam graecos quam romanos aetate signata in Hispania vel ab Hispania vel ab Hispanis edita sunt, et postquam omnia singillatim et ordinate sua quaeque rubrica seu titulo recensita sunt, auctorum index colligit litterarum ordine omnium scriptorum nomina nostrae aetatis, paginarum numero indicto, ubi liber seu lucubratio unaquaeque enucleate enixeque notatur, ut facilis evadat singulorum librorum seu scriptorum comprobatio. Qui in studia classica diu noctuque incumbunt, Societati Hispanae Studiorum

Classicorum gratias maximas referent ob opus hoc, magnae quidem molis, sed majoris ponderis et momenti.

DETER, I. — *Das neugriechische Volklied*. Ernst Heimeran Verlag, München, 1968, pp. 99.

OPELT, I. — *Vom Spot der Römer*. Ernst Heimeran Verlag, München, 1969, pp. 111.

Haec duo opera, quamvis ad eandem collectionem pertineant, diversa tamen sunt et argumento et methodo. Primum enim continet doctrinam de carminibus scriptorum linguae graecae recentioris compendiose enucleatam, tam de ratione ipsa carminum quam de diversis eorum speciebus. Doctrina illustratur exemplis plurimis germanica tantum lingua propositis. In fine operis fontes seu scripta e quibus doctrina exempla hauriuntur prostant, necnon et personarum rerumque nomina litterarum ordine proposita. — Altero vero de scriptis quae ad urbanos sales seu ironiam pertinent e praecipuis scriptoribus latinis selectis agitur, uti Plauto, Terentio, Cicerone, Catullo, Vergilio, Horatio, Seneca, Persio, Petronio cet. Ubi breviter doctrinam de hoc genere dicendi proponit auctor, exempla plurima latina lingua et germanica simul adducuntur, quibus *ars salis*, de qua Cicero (*De orat.* 2, 54, 216), apprime comprobatur.

VOSSEN, C. — *Mutter Latein und ihre Töchter. Weltsprachen und ihr Ahnenpass*. GFW-Verlag, Düsseldorf, 1968, pp. 184.

Plura notabilia et curiosa in hoc volumine apprime confecto multisque imaginibus illustrato auctor collegit, quae amorem linguae latinae magnope-

re excitent et sustineant. Cultores linguae latinae viventis commendantur et acta seu commentaria quae ad hoc exstant magna laude recensentur. Ea vobis verba, quae clarissimus Casimirus Kumaniecki, Romae in Conventu omnium gentium et nationum latinis litteris linguaeque fovendis, omnium plausu protulit: "Id autem quod hic conventus non alibi, sed hic Romae, non alibi, sed in Capitolio, urbis hujus antiquissima, celsissima, sacratissima sede inauguratur, omnes nos, qui longis itineribus confectis huc convenimus, mirum quantum excitat, mirum quantum movet..." (pag. 25). Paulo ante acta periodica summarie notat, quae linguam latinam nostra aetate vulgandam curant: *Acta diurna* (Trinity School, Croydon in Anglia), *Adhuc* (Cordoba, in Argentina), *Latinitas* (Romae in civitate Vaticana), *Palaestra Latina* (CaesarAugustae in Hispania), *Tiro* (Bad Dürkheim in Germania), *Vita Latina* (Avinione in Gallia), *Vox Latina* (Ottobrum in Germania). Praeterea multa alia utilia, jocosa, curiosa in hoc libro continentur, quae linguam latinam caram nobis faciunt ejusque cultum sensim sine sensu promovent et confirmant.

RADKE, G. — *Cicero ein Mensch seiner Zeit*. Walter de Gruyter & Co., Berlin 1968, pp. 260.

Cl. G. Radke in hoc volumine collegit disquisitiones quasdam ad Ciceronem et ad ejusdem aetatem spectantes, praefatione praemissa sub hoc indice: "Zugang zu Cicero". Scriptores qui variis his disquisitionibus dant operam hi sunt, viri magna auctoritate praestantiaque praediti: L. Budde, M. Kaser, U. Knoche, Ch. Meier, F. Römich, O. Seel, W. Richter, C. J. Classen, B. Finger. Opus

magni quidem momenti iis omnibus qui Ciceroni enixe dant operam.

BELLER, M. — *Philemon und Baucis in der europäischen Literatur*. Heidelberg, Carl Winter Universitätsverlag, 1967, pp. 164.

En nobis disquisitio ad gradum doctoris in Maguntina Universitate obtinendum, ductu Professoris Horst Rüdiger a Manfreda Beller confecta, in qua de fabula Philemonis et Baucidis copiose inquiritur, praesertim a fonte ovidiana Metamorphoseos indagando et per scriptores mediae et ranae aetatis attente discurrendo. In parte prima operis de fabula mythica nonnulla praemittuntur, deinde de imitatione et transformatione fabularum apud scriptores posterioris aetatis oratione soluta sive versibus, demum opus clauditur litterarum fontibus signatis et scriptoribus, qui de hoc argumento praecipue egerunt.

ALTHEIM - STIEHL - SIER. — *Beiträge zur Alten Geschichte und deren Nachleben*. Festschrift für Franz Altheim zum 6. 10. 1968, herausgegeben von Ruth Stiehl und Erich Sier. Erster Band. Berlin, Walter de Gruyter, 1969, pp. 586.

In hoc volumine continentur varia clmi. Francisci Alheim amicorum disputationes ad historiam antiquorum spectantes, occasione septuagesimi anni ab ejus nativitate edita, numero quadraginta quatuor, e quibus nonnulla notamus, quae magis ad lectores horum commentariorum sese referunt, videlicet: J. M. Blázquez, Relaciones entre Hispania y los Semitas en la antigüedad (pp. 42-75); E. Panoussi, L'origine de la notion de participation chez Zoroastre et chez Platon (pp. 91-114); F. Corne-

lius, Apollon in Rom (pp. 151-156); O. Szemerényi, *Si parentem puer verberit, ast olle plorassit* (pp. 173-191); J. Heurgon, Oinarea-Volsinii (pp. 273-279); G. A. Lehmann, Die Endphase des Perseuskrieges im Augenzeugenbericht des P. Cornelius Scipio Nasica (pp. 387-412); R. Werner, Die gracchischen Reformen und der Tod des Scipio Aemilianus (pp. 413-440); H. E. Stier, Der Mithridatesbrief aus Sallusts Historien als Geschichtsquelle (pp. 441-451); E. Maróti, *Aere perennius* (pp. 452-458); H. Oppermann, Späte Liebeslyrik des Horaz (pp. 459-476); J. Béranger, Remarques sur la Concordia dans la propagande monétaire impériale et la nature du principat (pp. 477-491); R. Günther, Kolonen und Sklaven in der Schrift *de re rustica* Columella's (pp. 505-511); P. Lambrechts et R. Bogaert, Nouvelles données sur l'histoire du Christianisme à Pessinonte (pp. 552-564).

PARATORE, E. — *Biografia e poetica di Persio*. Firenze, Felice Le Monnier, 1968, pp. XI-242.

Clmus. E. Paratore, in Universitate Romana Professor, colligit in hoc volumine studia quaedam de Persio Poeta, quae in actis seu commentariis periodicis jam prius ediderat, de novo tamen recognita et ditata. Agit auctor primum de vita, deinde de Persii carminibus, praesertim de choriambo, de Persii et Lucani inter se concordantia, de Persii in *Divina Comedia* Dantis influxu, eaque omnia magna eruditione rerumque cognitione, ut omnibus notum est, exponit. Opus magni momenti est, cum de poeta agatur nequaquam negligendo et magna cura et diligentia enucleentur quaestiones omnes quae in volumine hoc receptae sunt.

PAOLI, U. E. — *Vita Romana*. Firenze, Le Monnier, 1968, pp. XXIII-834.

Praestantia hujus operis ex eo constat quod semel iterumque tum in Italia tum aliubi editum est, sive in Hispania, sive in Gallia, sive in Germania, sive apud Anglos, sive apud Batavos. Quam prae oculis habemus, editio italica est decima, eaque mirum in modum illustrata plurimis lucidisque imaginibus plerumque variis coloribus ornatis. Agitur in ea de omni re ad vitam cultumque romanorum spectanti ea quidem ratione elegantique modo atque ordine, quibus clarebat auctor, praeclarus Hugo Henricus Paoli, inter cultores latinae linguae hac nostra aetate facile princeps. Haec decima editio anno MCMLXVIII, post auctoris mortem, publici juris facta, prodiit cura Quintini Cataudella; quam vero domus florentina "Le Monnier" tanta diligentia sollicitudineque prosecuta est, ut opus omni laude dignum evaderet, aereque perennius sit monumentum, quo auctoris gloria apud nos in perpetuitatem clareat.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

DRESDEN, S. — *Humanismo y Renacimiento*. Ed. Guadarrama, S. A., Madrid, 1968. Pag. 256.

Ex quo Burckhardt renatarum litterarum notionem divulgavit, quam plurimae disputationes omne genus sententiarum de re sunt exortae, adeo ut non nulli periti in dubium revocarent renatarum litterarum significationem, quippe qui nihil magis arduum sibi esse existimarunt quam accurate discriminare quod re vera novum esset et quod Medii Aevi tantummodo progressio.

Prof. S. Dresden infecundas defi-

nitionis quaestiones praetermittens, renatarum litterarum aetatem recto itinere aggreditur per opera et scripta praecipuorum humanarum litterarum cultorum. Itaque omnia eaque contraria, quibus ii viri clarissimi obnoxii fuerunt, ab astrologia inde et symbolorum doctrinis et obscuritate litterarum usque ad textus linguasque classicas renascentes terraeque explorationem religiose pervestigans, S. Dresden ostendit quo pacto ejus modi scriptores suis temporibus historicis sese aptaverint quamque de se ipsi habuerint opinionem. En auctoris conclusio: etsi horum scriptorum cum Medio Aevo vincula constrictiora fuerint quam quod multi crediderint, hanc litterarum renascentium aetatem fuisse quasi clavem cultus humani Aetatisque Recentioris praenuntiam.

NEURATH, M. - ELLIS, J. — *The lived like this in ancient Rome*. Ed. Max Parrish, London, 1968. Pag. 32.

NEURATH, M. - ELLIS, J. — *The lived like this in ancient Greece*. Ed. Max Parrish, London, 1968. Pag. 32.

En tibi opuscula duo quibus auctoritas et momentum collectionis, cui est index "VITA IN ORBE ANTIQUO", perspicue elucet. Hic facile quam plurima invenies summa dicendi simplicitate ornata: indolem gentis graecae romanaeque earumque consuetudines, leges, instituta, mores cottidianos, templa deosque; quae omnia ante oculos in utroque opusculo imaginibus pictis illustrata prostant. Unaqueque imago breviter explicatur eo tamen dicendi genere ut vel pueri rem plane intellegant. Uterque liber magno unitatis sensu est exaratus, adeo ut qui ambo opuscula legerit sibi videatur amoenissimam esse taeniolam vitae

in Graecia Romaeque degendae contemplatus.

GUTHRIE, W. K. G. — *The Greeks and their Gods*. Ed. Methuen et Co Ltd, London, 1968. Pag. XIV-388. 6d net.

Quid sibi in hoc libro exarando proposuerit auctor, perspicue patet: minime adjuvare ad religionem graecam primoribus labris tantum attingere sed investigationem ad summum quasi culmen perducere, id est, ad necessitudinem rerum divinarum et humanarum. Auctor, enim, quasi dux eis vult esse, qui litteris graecis student, non tantum cupiens peritis delectationem afferre quantum scholasticos adjuvare, qui manifeste repere-runt litteras graecas penitus esse religione imbutas.

Ecce tam praestantis operis index: I. Our Predecessors; II. The Divine Family; III. A Central Problem; IV. Gods and Men in Homer; V. The Contribution of Ionia; VI. Dionysos; VII. Apollo; VIII. Heaven and Earth; IX. The Chthonioi; X. Hopes and Fears of the Ordinary Man; XI. The Orphics; XII. Plato and Aristotle.

Qui altius rem callere velint, annotationes adeant, quae ad paginarum calcem accuratissime selectae prostant.

BEARE, W. — *The roman stage*. Ed. Methuen and Co Ltd., London, 1968. Pag. XIV-397. 25s net.

Lectionem hujus libri, quem lectoribus nostris commendamus, per quam necessariam omnibus aestimamus studiosis qui cognoscendo dramati in universum vacant, cum Prof. W. Beare praecipua investiget elementa quibus antecedentia classica dramatis

europaei innotescant. Quapropter auctor, paedagogica cura motus, in conspectum legentium committit progressum dramatis in re publica romanorum. Consciis sibi auctor est omnes de theatro latino disputationes conjecturis scienter aut inscienter niti, quae, etsi rationi consentaneae in se ipsis videantur, nihil tamen probant sed ex novis eisque gravioribus difficultatibus laborant. Quamquam Prof. W. Beare nobilissimis poetis scaenicis Plauto, Terentio, Pacuvio eorumque scriptis navat operam, alia tamen summa eruditione tractare non praeterit in iis quae ad originem comoediae romanae ejusque indolem universam, necnon ad necessitudinem cum "nova comoedia" graeca spectant. Pro certo, enim, habemus jucundissimum fore lectoribus de rebus agere secundariis sed maximi momenti, ut exempli causa, de iis quae ad instruendum theatrum romanum, ad audientes spectantesque, ad histriones eorumque vestes tragicasque personas, sed in primis ad numerum musicamque attinent.

LUCAS, D. W. — *Aristotle: Poetics*. Introduction, Commentary and Appendixes. Ed. Clarendon Press, Oxford, 1968. Pag. XXVIII-313. 50s net.

Hoc omni commendatione dignum commentarium Textu Classico Oxo-niensi (Oxford Classical Test) nittur; quo auctor commentario "Poeticae" explicationem rationali via praebere nobis contendit fecunda fretus disputatione de theoretica litteraria Aristotelis, quae ex magna Bywater editione exorta est. Ex eo tempore quam plurimum tragoediae graecae cognitio aucta est; idcirco Prof. D. W. Lucas totis viribus contendit hujus commentarii ope "Poeticam"

aristotelicam conferre cum iis quae de tragoedia in praesens habemus comperta. Quapropter auctor commentarium capitum VI-XXII in primis amplificat, quo fusius de tragoedia ejusque definitione ac partibus agat.

Hoc commentarium XXVI capitum Poeticae Aristotelis, potius quam criticum, litterarium videtur, etsi apparatus criticus, memoria diversorum codicum annotationesque editioni Oxoniensi apprime religioseque aptentur.

In Introductione et in Appendicibus non nulla fusius explorata prostant ut "mimesis", "catharsis", "hamartia", "peripateia"; omnia tamen animadvertimus ita esse conscripta ut vel iis, qui linguam graecam ignorant, facile intellegibilia reddantur.

DUTHOY, R. — *The taurobolium; its evolution and terminology*. Ed. E. J. Brill, Leiden, 1969. Pag. XIV-12p. Price: 38 guilders.

Liber, quem iudicio critico ornatus, tomus decimus adnumeratur in corpore seu collectione quae "Études préliminaires aux religions orientales dans l'Empire Romain" inscribitur, a M. J. Vermaseren in lucem edita.

"Taurobolium", quarto p. Chr. natum saeculo, cum vehementissimum erat certamen inter ethnicorum cultum et christifidelium religionem, fortissimum exstitit praesidium ad instituta veterum deorum defendenda. Taurobolium autem jam antea progredientibus aetatibus paulatim provectum erat; cui vero progressui explorando R. Duthoy totam operis tertiam partem, quae est praecipua (p. 87-122) dedicat. Multa ab auctore testimonia, inscriptiones, textus scriptorum, afferuntur quae ad taurobolium attinent, ut dein investiget atque interpretetur accuratissime discriminans verba seu vocabula ab aliis rebus, in quibus me-

morentur finis, dedicatio, causa, nomen quo sacra ejus modi caerimonia nuncupabatur.

Perampla eaque selecta bibliographia ineunti libro praeponitur cum charta geographica, ubi loci hujus veteris cultus describuntur.

BONAVIA-HUNT, N. A. — *Horace the Minstrel*. A practical and aesthetic study of his aeolic verse. Ed. The Roundwood Press, Kineton, 1969. Pag. XVII-268. Price: 42s net.

Prof. Bonavia-Hunt hoc opere tres poeseos horatianaes species investigatione quadam ac via propria qua mentem non tantum vulgaris sed periti lectoris in se convertet. Primum hoc probare fuse contendit — indice "Horace and his Lyre" — quod Horatius, tam dexter cum sit musicus quam poeta, maximam partem carminum conscripsit ut modis ac numeris a se compositis concinerentur.

Deinde formas atque elementa versus eolici horatiani, quasi in officina chirurgica esset, diligentissime inquirat; quapropter lectio capituli II cui index "The Aeolic odes" (p. 39-75) potius fere quam aliis rei peritis ardebit; attamen formulae hujus secundi capituli pernecessariae videntur, ut duo sequentia capita intellegantur: "Composing in Horatian Metres" (p. 75-101) et "A demonstration" (p. 101-144); quibus demonstrationibus lector perfectam absolutamque habeat revelationem secretorum quae artificiosus sermo horatianus continet.

Postremum denique caput (p. 144-262) anthologia est carminum stilo horatiano variisque linguis conditorum. En paucis verbis liber qui a mero rerum acervo longe abest sed "talis qualem Horatius ipse desideravisset".

WATSON, C. P. - REYNELL, A. C. — *Ovid's Metamorphoses: Selections*. Ed. Faber and Faber, London, 1968. Pag. 175.

Iis hic libellus destinatur alumnis, qui, primum latinitatis periculum ubi subierunt, sese excolere volunt optimis litterarum latinarum scriptis. Brevibus introductionibus, quae fragmentis ex operibus ovidianis accurate selectis anteponuntur, auctores collocare intendunt Ovidium ejusque opera in disciplina mythologica litterisque populorum occidentalium, nam fabulas patet praecas earumque originem significationemque litteratis viris saeculi quoque vicesimi blandiri. Quapropter passim legentes admone-mur de via ac ratione qua fabula pertractata est a scriptoribus ante Ovidium et post eum, simulque de indole ac vi artis ovidianae, quae cum Vergilii vel Lucretii poetico dicendi genere comparari potest.

Quid de annotationibus dicendum? Tantum eo esse consilio exaratas ut expeditior fiat interpretatio eisdemque adspectus grammaticos attingi praesertim cum id textus latinus expostulet. In prooemio auctores de mytho atque metamorphosi, de Ovidio poeta, de hexametro latino scite agunt. In extremo volumine peramplum offertur lexicon, ubi omnia vocabula fragmentorum Ovidii anglice conversa prostant.

FRISK, H. — *Griechisches Etymologisches Wörterbuch, Lieferung 20*. Ed. Carl Winter, Heidelberg, 1969. Pag. 865-960.

En tibi fasciculus vicesimus Lexici Etymologici Graeci a H. Frisk conscriptus et in officina libraria Heidelbergae C. Winter in lucem vulgatus.

Ut fasciculi superiores quorum iudicium criticum toties jam in Palaestra Latina prodiit, accuratissime scitissimeque est exaratus. Quae in primis memorentur haec digna notamus: τέλος, τέμνω, τεύχω, τίθημι, τρέπω, τρέφω, τρίβω, τυγχάνω, ὕβρις, ὕδωρ, οἶος vocabula graeca fusius altiusque pertractata.

HAGENDAHL, H. — *Augustine and the latin classics*. Vol. I. Testimonia (p. 1-376). Vol. II. Augustine's attitude (p. 377-769). Ed. Almqvist and Wiksell, Stockholm, 1967. Price: 80 sewn.

Magnae molis meritique opus philologicum duobus voluminibus constans conscripsit H. Hagendahl de Divi Augustini cognitione usuque litterarum latinarum. Quod opus alius superioris libri videtur quasi complementum ab eodem auctore exarati, cui index "Latin Fathers and the Classics" (Göteborg, 1958). Nam quomodo Augustinus erga optimos latinitatis scriptores sese habuerit inquirere adeo interest ut Prof. H. Hagendahl rem investigandam non sit primo libro aggressus sed in aliud opus scilicet reliquerit.

De scriptoribus tamen optimis graecis nihil habet auctor, quia perspicuum sibi est sanctum Augustinum numquam eos lingua graeca sed latine conversos legisse; quod definite constat de Platonis Timaeo Aristotelisque Categoriis quas ex Cicerone et Mario Victorino latine accepit.

Opus in duo dispertitur volumina quorum primo testimonia multorum scriptorum ab Augustino selecta atque memorata continentur et a Prof. H. Hagendahl ordine alphabetico distribuuntur ut lector commode materiam omnem ad suum arbitrium inveniat; altero volumine quo modo

Augustinus erga scriptores latinos eorumque opera sese gesserit investigatur, singulis ante oculos locis habitis Ciceronis in primis (p. 479-589) Vergiliique (p. 384-464), qui ab Augustino prae ceteris memorantur.

DAWSON, CH. - COLE, T. — *Yale classical studies*. Vol. XXI: Studies in latin poetry. Ed. Cambridge University Press, 1969. Pag. 263. Price: 55s.

Volumen XXI Collectionis seu corporis quod "Yale classical Studies" vulgo dicitur simul conscriptum est a novem professoribus Ch. Dawson et T. Cole moderantibus.

Indicem hic transferimus disputationum quae libro continentur ut in cognitionem legentium perveniant. The Saturnian Verse (p. 1-75), ubi Prof. Cole versum saturnium confert cum historia litterarum graecarum ac romanarum et cum restituta praehistoria versus indoeuropaei; The *Mae-naechni*: Roman Comedy of Errors (p. 75-94); *Imperator histricus* (p. 95-124); Nine Epigrams from Pompeii (p. 125-142); *Obscura de re lucida carmina*: Science and Poetry in *De Rerum Natura* (p. 143-168); Catullus 64 and the Heroic Age (p. 169-192); Bacchus and the Horatian *Recusatio* (p. 193-212); Two Horatian Proems: *Carm.* 1.26 and 1.32 (p. 213-240); Ovid and the Law (p. 241-263).

DELLA CORTE, F. — *Suetonio: Grammatici e retori*. Ed. Loescher, Torino, 1968, pag. XLII-113.

Secundam sane habuit fortunam liber quem "De grammatici" Suetonius exaravit, nam etsi prima operis hujus notitia certa saeculo XIV tribuitur, quam plurimas editiones atque disputationes sibi comparavit.

Prof. Franciscus della Corte, nobilis rerum classicarum philologus, in quaestiones quae ad operis compositionem spectant sedulo incumbit; inquirit quoque quomodo hoc Suetonii opus inventum sit; codices praeterea atque editiones fuse pertractat codicemque illum Hersfeldiensem investigat donec in archetypum ipsum perveniat. (p. XXII).

Hac introductione ab auctore habitata, textus consequitur latinus (p. 67) accurata interpretatione italica illustratus. In apparatu critico variae quoque colliguntur lectiones praecipuae difficilioresque loci brevibus annotationibus clariores redduntur. In paginis 68-108 additiciae reperiuntur annotationes imprimis historicae quibus alumnis utilissimum exstabit opus.

JONSSON, R. — *Historia: Etudes sur la genèse des offices versifiés*. Ed. Almqvist - Wiksell, Stockholm, 1968. Pag. 260. Price Kr. 36.

Corpus quod "Studia latina Stockholmiensia" inscribitur aliud edidit volumen a R. Jonsson exaratum de origine officiorum liturgicorum versibus compositorum.

In introductione R. Jonsson de terminologia agit cujus finibus vocem "historiam" constituat intra sermonem liturgicum seu medii aevi latinitatem. Maximi videtur momenti vocis "historiae" disquisitio. Vita enim sanctorum, hymni, orationes, psalmi, cantica, lectiones ex operibus Patrum excerptae, praecipuam partem constituunt officii divini ubi includitur "historia". Hanc circum "historiani" et proprium et commune sanctorum et lectiones biblicae et hagiographicae evolvuntur.

Quod ut rite assequatur R. Jonsson in primis Antiphonarum Compendii (Compiègne), Officium Sti. Fusciani

Historiasque Stephani Leodicensis ante oculos habet investigationique subijcit.

Hoc opus aestimare non dubitamus tanquam exemplum ponderis auctoritatisque scientificae et utilissimum liturgiae mediæ aevi investigandae.

QUINTELA FERREIRA, A. P. — *Esquilo: As Suplicantes*. Ed. Faculdade de Letras da Universidade de Coimbra, 1968. Pag. 157.

Aeschyli "Suplices" quae inscribitur tragoedia eo majori curae esse theatri graeci studiosis videtur quominus cognita exstat, quamquam plurimas quaestiones et principia seu elementa ad mores conformandos continet quibus tragoedia hodierna quadam instruitur novitate. A. P. Quintela primum introductionis ope investigat cui temporis adscribenda sit operis compositio, e quibus elementis alienis constet, quatenus sint propria ingenia personarum, quibus adjunctis politicis tragoedia implicetur, quatenus praecipuae quaestiones disputandae occurrant, quo casu tragoediae reliquae "Aegyptii" et "Danaides", quae simul cum ea trilogiam constituunt, perierint. (p. 3-41). Deinde accurata interpretatio vernacula sequitur, ubi partes lyricae versu "albo", partes non lyricae soluta oratione prostant (p. 45-88). Denique locos obscuriores scitis annotationibus illustrantur (p. 91-136). Per ampla bibliographia, indices scriptorum veterum ac recentiorum utilissimum legentibus reddunt opus.

ARGENIO, R. — *Ludere iuvat*. Bibliotheca Internazionale Editrice, Firenze, 1968. L. 850.

Qui R. Argenio, humanarum litterarum rerumque philologicarum eximium cultorem, ex ejus scriptis tantum cognitum habeant, forsitan nonul-

li eundem exquisitum poetam ignorent. Adeant, quaeso, hunc libellum qui "Ludere iuvat" inscribitur, quo gravissimus scriptor ingenium poeticum ostendit pulcherrimis carminibus italicis ab anno 1960 collectis. Quae carmina in sex quasi capita offert: Affetti e memorie (p. 7-14), Ricordi di scuola (p. 15-18), Istantanee (p. 19-23), Attualità (p. 24-31), Divagazioni (p. 32-35), Fede e Arte (p. 36-52).

Prof. R. Argenio gratias habemus quod, praeter ejus de rebus classicis disputationes, humanissima quoque carmina nobis largiatur.

LAMACCHIA, R. — *M. T. Ciceronis Epistula ad Octavianum*. Introduzione, testo critico e commento. Ed. Felice Le Monnier, Firenze, 1968, Pag. 146. L. 2200.

Bibliotheca Nationalis scriptorum classicorum graecorum ac latinorum A. Ronconi J. Pulguese moderantibus aliud edidit volumen a R. Lamacchia paratum.

Locupletissima introductione haec maximi momenti tractantur: temporum adjuncta politica quibus epistula data est; personae tum Ciceronis tum Octaviani quae hac epistula adumbrantur; epistulae exstructura; res quae epistula continentur; grammatica, dicendi genus cet.; codices atque editiones.

Textui latino, apparatu critico instructo, nota bibliographica praedit conspectusque siglorum.

Sed quod meritissimum nobis videtur est commentarium totius epistulae Ciceronis quae pag. 53-135 continetur; ibi pedetemptim, ratione scientifica, sub specie grammatica, stilistica, historica, praecipui loci vel res summa eruditione tractantur, ita ut asserere cogamur hanc editionem verum hujus modi commentariorum exemplum videri.

RONCONI, A. — *La letteratura romana*. Saggio di sintesi storica. Ed. F. Le Monnier, Firenze, 1968. Pag. 210. L. 2200.

Arduus sane labor tam paucis colligere pagellis breviterque contrahere res maximi momenti easque amplissimas ad litteras latinas atque historiam spectantes, nisi peritissimus scriptor ut Alexander Ronconi rem summa eruditione tractavisset.

Ut sibi clmus. Professor proposuit et ex subindice operis constat: "Saggio di sintesi storica", id plane est assecutus, nam qui, quamvis primis labris nonnullas libri paginas degustaverint, mirabilem summan historiae litterarumque percipient jam inde a primis scriptis litterariis romanorum usque ad litteras christianas III-IV saec.

Opus, omni apparatu destitutum, fructus est plane maturus peritissimi Professoris qui ab omnibus jucundissime degustabitur.

CASTORINA, E. — *Questioni neoteriche*. "La Nuova Italia" Editrice, Firenze, 1968. Pag. VIII-320. L. 2500.

E. Castorina, qui litterarum latinarum historiam in Universitate Bariensi tradit multisque operibus in hac litteraria dictione omnibus est cognitus, inter studiosos ac peritos viros adnumeratur qui in poesim neotericam incumbunt. Hoc volumine auctor viginti annorum quasi in summam colligit fructus suarum investigationum historiam quandam nobis describens poeseos neotericae jam inde a primis conventibus litterariis Lutatii Catuli, Valerii Catonis, Anniani Falisci — summis poetis ut Catullo Vergilioque etiam memoratis — usque ad poeseos neotericae saec. IV dissolutionem, cum Optatianus Porphy-

rius et Ausonius artificia imitari tantummodo audent technopaegniae alexandrinae.

Quae omnia auctor in octo capita dispertitur quorum index: I. Origine del neoterismo. II. Neoterismo et Atticismo nell'adesione giovanile e nella critica di Cicerone. III. La scuola di Valerio Catone. IV. Catullo. V. De Virgilio ai poeti dell' Appendix. VI. I poeti novelli. VII. Anniano Falisco e Settimio Sereno. VIII. Dai novelli minori all'ultima degenerazione del neoterismo.

BONICATTI, M. — *Studi sull' Umanesimo. Secoli XIV-XVI*. Ed. "La Nuova Italia", Firenze, 1969. Pag. 347. L. 6000.

En vobis totius libri index ut notitiam aliquam meritissimi hujus operis habeatis lectores: Una prefigurazione dantesca dell'Umanesimo. Il rinnovamento giottesco nell'interpretazione letteraria del Trecento e del primo Quattrocento. La crisi dell'Umanesimo "eroico" e il concetto di Rinascimento nella cultura dei Paesi Bassi. La visione del mondo e il concetto di Umanesimo nei Paesi Bassi. Peter Bruegel il Vecchio: la Riforma e l'Inquisizione nei Paesi Bassi. La concezione saturnine. Appendici: Vita del Bosch di Don Felipe de Guevara. Vita del Bosch di fra José de Sigüenza. Vita del Bruegel di Carel van Mander.

Critici recentiores ad spectum in primis momentumque tantummodo fere litterarium consideraverant in hac aetate qua humanae litterae sunt restitutae. Sed hoc summo merito. Professori M. Bonicatti jure tribuimus quod hanc aetatem ampliore ratione ac via critica donavit investigans omnes ad creandum aptitudines condicionesque humanas, quin etiam disciplinam ullam sive artiscam sive

technicam praetermitteret discriminandam.

Imagines, quae in extremo opere prostant, opportunis commentariis explicantur jucundissimeque rem illustrent; huc adde indices nominum rerumque quibus liber redditur utilisimus.

FINDLAY, J. M. — *La disciplina de la caverna*. Ed. Gredos, Madrid, 1969. Pág. 263.

Lectiones quaedam a Prof. J. N. Findlay in Universitate Sancti Andreae in Scotia habitae hoc volumine colliguntur. Quibus lectionibus haec una quasi communis eaque praecipua inest cogitatio: quod "mysticum" seu illud quod hominum naturam transcendit, non tantum non adversatur iis quae lingua exprimitur vel experientia percipitur, verum etiam cum iisdem penitus est consentaneum atque conjunctum. In re exponenda J. N. Findlay ratione quadam ac via hegeliana immo et husserliana utitur quamvis non stricta, ut ipse auctor profiteretur, Platonis satis debens — indicem operis "La disciplina de la caverna" memini — aliisque scriptoribus mysticis et philosophicis cum orientalibus cum occidentalibus.

MARTANO, G. — *Studi di storia del pensiero antico*. Ed. "Il Tripode", Napoli-Firenze, 1968. Pag. 278. L. 3600.

Prof. Josephus Martano volumine collegit disputationes in periodicis commentariis editas vel in conventibus academicis habitas. Quarum indicem cognoscere licet: I frammenti epicarimei della serie di Alkimos (p. 1). La dualità nel pensiero di Alcmeone di Crotona (p. 37). Bagliori della chimica moderna in Empedocle di Agrigento (p. 53). Il "senso del con-

creto" nei contributi sicelioti alla storia del pensiero greco (p. 83). Il "Parmenide" e il "Sofista" in un'interpretazione teologica di Pico della Mirandola (p. 107). Le congetture lucreziane di Guido della Valle ed alcune obiezioni recenti (p. 121). Il concetto di materia nella *Ἀπορροαί* porfiriane (p. 159). Oposizione e continuo in un capitolo della storia della dialettica antica (p. 169). La retorica antica tra estetica e dialettica, e la posizione del *περὶ ὑψους* (p. 179). Il "Saggio sul sublime" ed i primissimi albori dell'estetica romantica (p. 215).

DE SANCTIS, G. — *Storia dei Romani*. Vol. III, *Parte prima*: L'età delle guerre puniche. Pag. XVI-420. L. 5000. *Parte seconda*: L'età delle guerre puniche. Pag. XI-711. L. 7000. "La Nuova Italia" Editrice, Firenze, 1967-1968.

Cajetanus De Sanctis, qui historiam antiquam in Universitate Augustae Taurinorum ab anno 1900 usque ad 1929 tradidit, egregius historicus classicus ab omnibus jure meritoque habetur. Historia enim ejus una videtur in qua et fontes archaeologici et epigraphici et litterarii undique expleti perfectique severissima ratione ac via discutiantur.

Hoc tertium volumen primo bello punico dicatur "operosisque indutiis" quibus et romanorum et italicorum copiae sese adversum Hannibalem expedierunt. Prima pars voluminis in quinque capita dividitur: I. *Cartagine*: descriptio perfecta absolutaque urbis Romae aemulae. II. *La conquista della supremazia marittima*: id est bellum navale usque ad Ecnomi pugnam. III. *La sottomissione della Sicilia*: ab Ecnomi pugna usque ad provinciae constitutionem. IV. *La tregua*

operosa dei Romani: inter duo bella. V. Il risorgimento cartaginese.

Pars altera voluminis in quattuor capita dividitur quorum en tibi index: VI. *L'offensiva vittoriosa d'Annibale: Hannibal per Alpes et Italiam Romam petit.* VII. *Fabio e la resitenza romana: Romani adversus Carthaginienses; pugna ad Cannas; bellum in Hispania et Sicilia.* VIII. *La guerra annibalica in Oriente: Hannibal foedus init cum Philippo adversus Romanos.* IX. *Scipione e la revincita: Scipio in Africam bellum movet.*

Valde utile redditur volumen "speculo chronologico", ubi praecipuae res gestae singulorum annorum breviter consignantur, indice alphabetico chartisque octo geographicis quae in extremo libro prostant. Qui historiae romanae vacant absolutamque cognitionem aetatis bellorum punnicorum habere cupiunt, hoc deinceps opus clmi. scriptoris C. De Sanctis sine magno detrimento in investigando atque consulendo praeterire non poterunt.

WATERMAN, J. T. — *Breve storia della linguistica.* "La Nuova Italia" Editrice, Firenze, 1968. Pag. XVI-123.

Ex quo Prof. F. Saussure, in dictione linguistica princeps, cursum Linguisticae Generalis vulgavit, in diversum tetenderunt hominum sententiae. Neque defuerunt qui vehementer impugnarent hanc disciplinam librumque F. Saussure tanquam horridum, incomptum, inelegantem, taedio afficientem, fabulam optimam ad somnum puerorum conciliandum, immo et tutum desipientium refugium...

J. T. Waterman infestis respondet oburgationibus universae historiae linguisticae habens quasi prospectum: I. Lo studio del linguaggio nell'anti-

chità (p. 1). II. Il Medioevo e l'inizio dell'età moderna (p. 13). III. Il diciannovesimo secolo (p. 21). IV. Il ventesimo secolo (fino al 1950) (p. 71). Quibus capitis J. T. Waterman ostendit F. Saussure principem in finibus linguisticis stitisse multumque ei hanc disciplinam debuisse.

Opus nonnullis magnae utilitatis appendicibus et indice nominum finitur.

MYNORS, R. A. B. — *P. Vergili Maronis opera.* Oxonii e typographeo Clarendoniano, MCMLXIX. Pag. (XVI)-452. 18 s. net.

Laeta sint auspicia "Scriptorum Classicorum Bibliothecae Oxoniensi" ejusque moderatoribus quod corpus tantis meritis cumulatum novo auctum sit volumine Vergilii opera continenti, quae recognovit brevique annotatione critica instruxit R. A. B. Mynors, litterarum latinarum Professor Publicus apud Oxonienses.

In praefatione clmus. Professor Oxoniensis de codicibus tribus praecipuis erudite agit: Florentino Laurentiano XXXIX I, Vaticano Palatino lat. 1631, Vaticano Vat. lat. 3867. Alios deinde memorat codices ut Vaticanum Vat. lat. 3225, Veronensem XI (38), Vaticanum Vat. lat. 3256, Sangellensem 1394, quorum fragmenta tantum supersunt. Ante oculos quoque fragmenta papyracea habet quo textus vergilianus accuratius intellegatur atque restituatur, minime praetermissis codicibus illis qui ab aetate Carolingia ducunt originem. Postremo nonnullae regulae dantur ad rectam codicum usurpationem (p. V-XIII).

Sequitur laterculus notarum sub quibus testes in apparatu adlegantur (p. XIV-XVI). Voluminis corpus (p. 1-422) Vergili opera omnia constituunt selecto scitoque apparatu criti-

co instructum. Indice nominum opus utiliter finitur, ubi commode lectores quae velint nomina propria invenient.

IZQUIERDO MORENO, C. — *Convivencias juveniles*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pág. 174.

Operis scriptor cui index "Convivencias Juveniles", latine "Juvenum Conventus" praeter ceteros apostolatium inter juvenes amat. Qua juvenum necessitudine fretus laborum atque experientiae fructus sacerdotibus adolescentiumque institutoribus largitur hoc volumine quo eos adjuvare intendit per conventus juvenum ad orandum atque cogitandum. Nam hujus modi conventus juvenum, qui nostra aetate disciplina pastoralis expostulantur, pleni spei in apostolatu adolescentium videntur. Quo opere commode ducis ad conventus juvenum bona fruge habendos.

KAPPELER, E. — *¿Por qué preguntan los jóvenes?* Ed. Studium, Madrid, 1969. Pág. 86.

Hujus opusculi scriptorem agnoscimus omnes ex libro quem officina libraria Studium edidit cuique "¿Escolares tontos?" est index.

E. Kappeler, optimus paedagogus, non nulla juvenibus opera exaravit; indefessus in scribendo socius commentariorum paedagogicorum qui "Juventus helvetica" appellantur.

Magnae experientiae paedagogicae fructus hoc opusculo continetur, nam auctor subtiliter sapienterque explorat quid de quamplurimis vitae rebus a duodecim deinceps annis pueri sentiant animoque experiantur. E. Kappeler commentaria ad scripta quae pueri ipsi commiserunt summam puerilis juvenilisque ingenii cognitionem significant.

DÖRR, O. — *La obediencia en el niño*. Ed. Herder, Barcelona, 1969. Pág. 160. Ptas. 90.

Opus lectoribus commendamus, quod exemplis vitae fulcitur fructusque est longinquae auctoris experientiae scholaris. Necesse est diligentissime pueri ingenium atque indolem ponderare ut puer pro sua parte bene accipiat parentes atque institutores ac liber, non invitus, erga eos cum officii sui conscientia semper agat. Quae oboedientia una tantum videtur, ut jure eam humanam rationique consentaneam appellemus.

Inter ea praecipue, quibus facilior humaniorque redditur oboedientia, O. Dürr indulgentiam proponit atque parentum et institutorum accommodationem illam ad ingenium resque quas amant pueri; et inter ea, quae difficiliorem efficiunt oboedientiam, sive superbium imperium sive firmitatis inopiam, quae verae auctoritatis itidem sunt defectus. Opus quoque est fiduciam sui pueris habendam confirmare ut se ipsi, qua indole vere sunt, accipiant quaeque fecerint bona recognoscant. Quod maxime est curandum ea certo aetate, ut pubertate, qua adolescentibus necessario gravioribus oboedientiae difficultatibus subjiciuntur.

TILMANN, K. — *Cómo dialogar sobre la fe*. Ed. Herder, Barcelona, 1969. Pág. 208. Ptas. 120.

Mundum nostra aetate incolimus vario multiplicatis signo et in cogitando et in sentiendo praeditum; alius enim mentis et opinionis homines, alius fidei sectatores una simul in vita ac labore, in raedis automatariis, in usu quotidiano saepissime conversantur. In quo hominum necessitudine

dialogo opus est de quamplurimis rebus praesertim religiosis. Idcirco Clemens Tilmann hoc opere veram pertractat indolem quam hodiernus de fide dialogus habere debet. Hujus modi colloquia humana dignitate nitantur oportet, quidquid homines alii modo cogitant; colloquia dicimus ea non quibus alii nostrarum opinionum participes nobis videntur sed quibus fides pura ac simplex exponatur atque significetur.

COSTE, R. — *El hombre sacerdote*. Ed. Herder, Barcelona, 1969. Página 272. Ptas. 185.

Sacerdotium minime est, ut olim, genus unum vivendi vitam evangelicam. Socialis sacerdotum status temporibus nostris ex sacra specie exutis industriaeque signo conformatis, plurimum imminutus est. Neque ab amicis non credentibus recte aestimatus neque a fidelibus rite acceptus, sacerdos hodiernus dolore cruciatur, quod a tot hominibus vel christianis ipsis qui templa frequentant, merus quorundam rituum administer existimetur. Nova ergo itinera sunt temptanda ut sacerdos hodiernus hodiernis hominibus fraterne inservire possit. Quantum ad id assequendum processerit Ecclesia opere suo R. Coste pervestigat, experientia in re ejusque fructibus hucusque habitis, quin tamen nec mores a majoribus traditos omnino rejiciat nec longinquum iter sacerdotij christiani per duo fere milia annorum obliviscetur. Nihil nobis est dubium quin cum clericis tum laicis magno futurum sit adjumento hoc volumen ad sacerdotem hodiernum populo Dei inservientem rectius altiusque cognoscendum.

GAUDEFROY, M. — *Estudios de Sexología*. Con la colaboración de doce especialistas. Edit. Herder, Barcelona, 1968. Pág. 492. 340 ptas.

Omnes voluminis lucubrationes a peritis in re viris — medicis, theologis, biologicis, philosophis, sociologis, demographis psychologisque — conscripta sunt, M. Gaudefroy, clmo. Prof. Facultatis Liberae in urbe Lille, moderante. Cujus operis finis in eo est ut omnes, quorum intersit, rerum sexualium cognitionem sanam absolutamque acquirant. Cum virtus sexualis tot aspectus offerat in homine eosque tam dispares, unusquisque eorum a peritissimo quoque viro pertractatus est: ab aspectu inde tantum biologico, quem homo cum ceteris animalibus communicat, usque ad aspectum psychicum ac spiritualem, qui ei sunt peculiare; quapropter ad communem operam et biologi et medici et philosophi et theologi adlaborarunt.

Naturae ratione seu physiologia viri et feminae comparata, aspectui psychologico applicationes fiunt; postea necessarium auctoribus videtur agere de familia tamquam de termino naturali unionis sexualis; tum vero investigatur quam opus sit hominibus conjugii constantia atque perpetuitate nec non necessitudine vinculorum quibus vel praeter voluntatem humanam homines devinciantur. Magni exstat momenti — nostra saltem sententia — tractatio de vulgari popularique hominum sensu quo familiae constitutio per saeculorum memoriam progressa est.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

BIBLIOGRAPHIA

HERNÁNDEZ-VIERA, G. — *Formación manual*. Curso I, 128 pág. 120 pesetas; Curso II, 116 pág. 120 ptas. Ed. Iberoamericanas. Madrid, 1968

Sunt multi qui saepissime conquerantur simplicissimo cuique artificio aesthetice perficiendo se impares esse, cum nihil, quod probetur ab aliis, perficere manibus suis valeant. Hoc igitur auctoris fuit propositum duobus opusculis conscribendis: manua-lem puerorum dexteritatem augere atque educare, ut per se ipsi efficere, intellegere, aestimare possint artificia. Ideo integrae hominis institutioni consulitur his libris duobus, cum aptitudo manualis, si in pueritia praetermittatur, aetate provecta vehementer desideretur.

Pulcherrima oratio illa quam scripsit auctor ante laborem pueris recitandam ut quam maximas gratias pro manibus Deo habeant.

AGULLO Y COBO, M. — *La poesía española en 1962*. Consejo Superior de Investigaciones Científicas, Madrid, 1965. Pág. 88. Ptas. 115.

Magni interest studiorum litterarum vitam poeticam nostrae aetatis quasi detegere atque comprobare. Quod sibi proposuit M. Agulló y Cobo hoc parvo volumine paucarum paginarum sed impensissimi laboris, quo omnia de poesi hispanica anno 1962 recurrente colligerentur.

Opus etenim nihil aliud exstat quam conspectus quidam poeseos his-

panicae memorati anni 1962. Poesim dicimus hispanicam, nam amplissimi fiunt indices commentariorum atque ephemeridum quae carminibus eden-dis dicantur vel quoque modo favent carminibus, certaminum ac ludorum: floralium, poetarum, anthologiarum, lucubrationum de re poetica, cet.; quae omnia non tantum ad linguam castellanam verum etiam ad asturicam, gallaicam, vasconicam, catalaunicam spectant.

ORAISON, M. — *Soltería y celibato*. Ed. Estela, Barcelona, 1968. Pag. 187.

M. Oraison —medicus et sacerdos— lectoribus hoc opus offert, ubi cogitata sua de caelibatu colligit, quo, qui caelibem vitam vivunt, facilius ad cognoscendum quod sunt quodque fieri possunt, adjuventur. Si vis, en tibi operis index: Carta al lector (p. 7), Palabras previas (p. 11). Reflexiones generales sobre el hecho del celibato 1 (p. 15), Clínica del celibato 2 (p. 49), Clínica del celibato 3 (p. 107), Los celibatos institucionales 4 (p. 139), Para concluir (p. 183).

M. Oraison quamplurimas gratias habeamus quod, quin rei clinicae et in primis psychologicae vacare desinat, in investigandis tam humanis quaestionibus curam studiumque producat nostraque aetate caelibem vitam vindicet, minime ut quid absurdum sed ex propria natura verum ac genuinum sensum habens.

M. MOLINA, C.M.F.

Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Repetitorium	ptis.	70
» De Orthographia latina (altera editio).	»	20
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio).	»	100
«TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI		
JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.).	ptis.	12
» <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ...	»	12
RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	»	12
MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.)	»	14
JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.) ...	»	12
» <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.)	»	12
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	»	12
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.)	»	16
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.)	»	12
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	»	10
ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	»	14
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I)	»	14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	»	12

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 169 Tucídides - Historia de la guerra del Peloponés (vol. V)
- 170 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. IV)
- 171 Tàcit - Annals (vol V). Llibres XIV-XV
- 172 Aristófanés - Comedias (vol. I). Els Acarnesos

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Via Layetana, 30 - BARCELONA